S. RITUUM CONGREGATIO

SENOGALLIEN.

R. D. Primus Battistini, Mansionarius et Caeremoniarum Magister Ecclesiae Catthedralis Senogallien. de consensu Rmi sui Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit: nimirum:

I. Ad quos spectet Missam Conventualem sive de feria sive de festo diebus ferialibus in Cathedrali Ecclesia celebrare?

II. Utrum dies 19 et 25 Martii computandi sint inter feriales, ita ut Missa Conventualis de feria ad Mansionarios spectet, cum in illis Festa S. Ioseph et Annuntiationis Deiparae occurrant?

III. Num Mansionariis legitime impeditis in casu liceat pro Missa Conventuali sibi substituere Sacerdotem, qui non sit de gremio Ecclesiae Cathedralis?

IV. Utrum tolerari possit consuetudo recitandi Sextam et Nonam Horam ante Missam Conventualem?

V. Possuntne psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce, ab uno ex Mansionariis?

VI. Utrum, absente vel deficiente sacri concentus

schola, quae ex Ecclesiae huius consuetudine relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii teneantur a seipsis supplere saltem in Cantu Gregoriano?

VII. Utrum Chorales ad asteriscum psalmorum pausam facere teneantur?

VIII. Utrum organa pulsari queant feria V in Coena Domini per totum hymnum Angelicum et Sabbato Sancto ab eiusdem hymni initio et deinceps?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, praehabita informatione et sententia R.mi D.ni Ordinarii Senogallien. audito etiam R.mo Capitulo illius Ecclesiae Cathedralis aliisque interesse habentibus, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad Mansionarios per turnum iuxta Decretum 2548, Senogallien. diei 18 Februarii 1794.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative et ad mentem.

Ad IV. Regulariter Negative et serventur Rubricae.

Ad V. Affirmative: dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur choralium numerus.

Ad. VI Affirmative.

Ad VII. Affirmative et servetur Decretum 3122 S. Iacobi de Chile diei 9 Iulii 1864.

Ad VIII. Affirmative iuxta Decretum 3515 Viglevanen. diei 11 Iunii 1880 ad IV, et Rubricas.

Atque ita rescripsit. Die 4 Martii 1901.

L. ✣ S.

D. Card. FERRATA *Praef.*

† D. PANICI Archiep. Laodicen. *Secr.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

DE BIRETO ET PILEOLO.

Cum in pluribus capitulis consuetudo invaluerit, ex qua Canonici et Beneficiati veluti pro forma biretum deferunt, adhibent enim nunquam in functionibus choralibus, quaestio saepe instituitur inter illos in quadam Ecclesia Cathedrali, num illud clericis inferioribus et maxime Seminarii episcopalis alumnis, iisdem in functionibus deferre liceat. Nonnulli ex Canonicis favent alumnis, biretum imo etiam pileolum, sanitatis ergo, deferentibus : alii vero acriter illis adversantur, prohibitaque ea indumenta sustinent, cum biretum (quidni et pileolum?) non esse chorale indumentum S. R. C. declarasse dicant. Eoque magis, quod alumni ignorent, quando biretum et praesertim pileolum gestare valeant in choro, quando eiusmodi

deponere indumenta debeant. Addunt et inordinationem, ex qua quidam alumnus doctorali laurea insignitus etiam biretum quatuor cum apicibus defert. Quae profecto, praeter difformitatem, quoddam etiam cultui dedecus afferunt. Hinc alter ex Canonicis, seu uniformitatis seu caritatis ergo, Caeremoniarum magistro sequentia dubia enodanda proponit:

1. *Quid de bireti clericalis et etiam pileoli antiquitate et symbolismo dici valeat, quidque de multiplici illius, non solum in latinis sed et in graecis Ecclesiis, forma?*

2. *Quando, quibus in functionibus, et cui, praesenti disciplina inspecta, biretum et pileolum adhibere, et num clericis inferioribus ea gestare liceat nec ne? Quidque peculiariter de bireto doctorali iudicandum?*

3. *Pro quibus ratio pugnet quod quaestionem attinet, de qua in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Cleti Piccinelli, habita in S. Aede Congr. Missionis, prope Curiam Innocentianam. die 30 Ianuarii 1901; acta Epitome per R.mum Dom. Chalcedoninm Mancini Academiae Moderatorem.

I. Quid de bireti clericalis et etiam pileoli antiquitate et symbolismo dici valeat, quidque de multiplici illius, non solum in latinis, sed et in graecis Ecclesiis forma?

1. *De bireto.* Biretum generice sumptum est habitus complementum, quod ad caput tegendum in-

servit. Diversa fuit et est illius forma, iuxta locorum diversitatem, graduum dignitatem, ac temporum adiuncta. Quod necessitatis interdum obiectum esse potest, idem et commoditatis rationem valet habere, saepe tamen dignitatis indicium praeseferre ordinatum est. *Bireti* nomen ex latina voce *birum*, quae vestis cuiusdam species erat totum corpus involvere nata, derivare docet cl. Du Cange, particula autem illius, quae ad caput cooperiendum destinata erat, *biretum* vocari consuevit; alii a *vireto*, *b* pro *v* commutata, quasi *viri* tegumento (Macri, Hierolex. v. *Viriola*). Quamvis veteres Romani generatim discooperto incederent capite, interdum tamen varias pro eo operimenti species adhibuere, *galerum* scilicet, *pileum*, *mitram*. Reges orientis thiara caput operiebant, ornabant.

Quonam praecise tempore clerici biretum adhibere inceperint, nemo est qui doceat; ceterum illius usus, ad saeculum usque IX, nondum invaluisse, certum est; praevia enim aetate Sacerdos celebraturus, paratus ad Altare procedens, caput amictu tegebat, prout hodiedum pluribus Regularium Ordinibus, praecipue mendicantium, mos est. Primi qui eiusmodi tegumenti genus gestarent, Episcopi fuisse videntur Galliarum. Summus enim Pontifex Ioannes XII, cum Cadurcensem Episcopum, anno 956, degradavit, inter alia paramenta biretum quoque ei auferendum iussit. Saeculo vero XI bireti nomen adhibitum invenitur ad tegumen quoddam corporis indicandum Summi Pontificis proprium. Videtur tamen hic agi de Camauro; et sane Benedictus XIV scribit, antiquitus ecclesiasticos bireto usos fuisse in formam Camauri, quod postmodum subsutura solidioris panni fulciri coeptum est, quatuor angulis elevatis, quemadmodum in Hispania, Gallia et Germania est in usu, aut tribus tantummodo, prout Romae et per totam Italiam gestari

solet. Ita et Macrius loquitur *Hierolexicon ; ad verbum* Camelaucium): « Ex figuris sepulchralibus colligitur etiam biretum clericale illius Camelauci formam antiquitus habuisse: sed progressu temporis solida tela subsuta, illi quatuor anguli in modum Crucis aliquantulum sublevati sunt, ad formam clericorum Hispanorum et Gallorum. Soli Itali unico angulo submisso, tres ad honorem SS. Trinitatis elevant, et nihilominus figura Crucis retinetur ». Saeculo XIV in Gallia sub Caroli V regno, in laicorum vestiario introductum biretum fuit, ad caputium substituendum, quod super scapulas declinabatur. Erat illud forma modo ditiori, modo simpliciori, unum *mortier* dicebatur, eoque rex et equites utebantur, exemplar istius fuisse fertur illa bireti species, quam Constantinopolitani Imperatores gestabant : alterum simplicius, ornamentis destitutum, cornu duplici elevato, a populo deferebatur. Saeculo XV, in Italia, nobiles viri bireti formam invexerunt, magni habitam, appositam quoque veluti galeae insigne in gentilitiis stemmatibus ; formam rotundam serius in quadratam mutavit, remanente prima in usu apud vulgus.

Biretum clericale illud praecise est, quod ab ecclesiasticis gestatur ad operiendum caput, nunc tantum in choralibus officiis ac aliis functionibus in Ecclesia, in Processionibus et similibus extra ipsam, nec non in privatis domibus, sed non multo praeterito ante saeculo etiam extra sacras functiones per vias. Hodiernum clericale biretum quadrata ut plurimum forma conficitur, laneum aut sericum nigri coloris : quae dantur exceptiones ulterius videbimus. Polidorus Virgilius scribit, verum clericale biretum, nusquam in usum deductum fuisse ante annum circiter 1450. Sarnellius contra, iam usque ab anno 257 invectum illius usum contendit; at eiusmodi assertio, super ordinatione quadam Stephani I Papae innixa, fundamento

penitus caret; etenim eius verba: « ut Sacerdotes et Diaconi numquam sacris vestibus, nisi in Ecclesia, uterentur » nihil probant, ad rem quod attinet nostram, cum supponendum illud praecise sit, quod demonstrandum esset, quod nempe inter sacras vestes, quas extra Ecclesiam adhibere haud licet, biretum quoque comprehendatur. Quamvis certum habendum videatur, saeculo IX biretum in sacris introductum fuisse; nihilosecius, primam explicitam mentionem illius in vita S. Ivonis invenimus, qui anno 1303 defunctus est. Ibi, loquens Surius de eximia huius Sancti erga pauperes caritate, narrat, quomodo, cum esset ille quondam iter faciens, et obvius ei factus pauper stipem efflagitans, et nihil aliud tum secum haberet ut illi subveniret, proprium clericale biretum eidem est elargitus. Quod et ab aliis agiographis, v. gr. Ribadeneira, Chevet, in eiusdem Sancti vitae descriptione, itidem enarratur.

Sunt qui clericale biretum inter sacra enumerant indumenta, ex eo quod Rubrica de illo una cum ceteris paramentis in Sacris adhibendo loquuntur, usum praecipiendo aut interdicendo, iuxta diversa temporis, loci etc. adiuncta, uti mox videbimus; sed potius, cum quasi appendix esse videatur habitus clericalis, non alio sensu sacrum appellari posse autumamus, quam eo quo sacra vocari velit talaris vestis, quae pariter a Rubrica praescribitur sub sacris indumentis adhibenda, sed tamen sacrum paramentum proprie non dicitur; ac proinde inter sacra paramenta adnumerandum non est, quamvis etiam cum illis assumatur. Sacra autem Rituum Congregatio in *Venusina*, die 7 Decembr. 1844, edixit: « biretum non est chorale indumentum (**2877**-4991) ».

Superius diximus, biretum, praeterquam commoditatis ergo, interdum delatum fuisse ad denotandam quoque dignitatem personae: ita Constantinopoli-

tani Imperatores, ac eorum exemplum secuti Reges et Nobiles viri Galliarum, nec non Episcopi, et in Italia Equites pariter, saeculo XV, omnes gestare ornatissima bireta visi sunt. At multo ante habitum fuit biretum veluti adhuc libertatis symbolum. Romani ex. gr. cum servum libertate donassent, pileum illi tradebant. « Mos fuit Romanis, ait Lazari (*De re vestiaria*), ut eorum servi libertatem assecuti, pileum capite tonso gestarent », ex quo latine proverbialiter dictum est *vocare servos ad pileum*. Ita porro nuncupapatum fuit « vel quod ex pilis fieri soleret, vel quod pilos capitis tegeret (Lazari, *ibid.*). Biretum nihilominus, ex formae et coloris diversitate, rem penitus contrariam significavit, quasi notam infamiae. Et re quidem vera, in Italia, Hebraei ex flavo bireto distinguebantur: in Gallia, ut ceteri sibi caverent, decoctis viridis coloris imponebatur. Quatuor elevatis angulis, symbolum fuit et scientiae; atque ita doctores et cancellarii Universitatum, patres magistri aliquorum Ordinum, certis in casibus, tale biretum gestant; sed de his inferius. Haec dicta sint de bireti symbolismo in genere: quod vero symbolismum bireti clericalis in specie attinet, haec dicenda veniunt: quadrata forma pro clericali hoc insigne recepta est, prout haud pauci opinantur, ad Crucem exprimendam, ut eam super nostrum caput gestando « numquam excidat Christi dominatus in quatuor orbis plagis per crucem comparatus ». Ita S. Prosper *(de Prom. part. II, cap. X)*. Homobonus ait, quatuor bireti angulos comparandos esse quatuor Crucis Redemptoris lignis. Caracciolus itidem, in S. Crucis venerationem, ad osculandum biretum invitat, cum accipitur et deponitur. Raynauld, super vetus historicum symbolismum innixus, biretum clericale significare docet ecclesiasiasticorum excellentiam, prouti umbella super principum caput defertur. Novimus praeterea, rubrum

cardinalitii bireti colorem Purpuratis Patribus, haud minus dignitatem repraesentare, quam martyrium, ad quod, in catholicae fidei defensionem, esse debent sustinendum parati.

2. *De pileolo.* Pileolus, uti ex ipsa vocis etymologia ostenditur, nil aliud est quam parvus pileus, seu parvum biretum. Qui ad clericorum usum conficitur formam habet circularem parvi tholi instar, summum caput, seu praecisius clericalem tonsuram contegere aptus, et constat laneo panno vel serico coloris communiter nigri. Vocatur et *cofia*, *cuphia*, *calota*, *cucufa*, *subbiretum*, et italice passim *zucchetto*, *berrettino*, *solideo*. Pileolus inter sacra indumenta non est recensendus (Bened. XIV, *De Sacr. Miss.*, *Sect. 1*, *n. 53*). Antiquitus, tum Graeci, tum Romani nudo incedebant capite, praeterquam tempore luctus et cum defendi vellent a pluvia. Primi tunc cooperiebantur extremitate pallii, alteri peculiari quodam tegumento. Seneca, Ovidius, Martialis, Plautus loquuntur de quibusdam parvis biretis, pileolis sive ob infirmitatem, sive ob frigoris intensitatem vel aliam tempestatis inclementiam permissis. Sopranis, in suo libro « de vestibus Iudaeorum », et Ferrari in alio « De re vestiaria », exempla gentilium referunt, qui cooperto capite sacrificia litabant. Quintilianus autem de quadam pileoli specie loquitur, qui ad capitis tempora binas habebat alas, ad aures contegendas; his utebantur Romani tum ad pompam, tum valetudinis ergo, ac in theatris ab actoribus gerebantur, etiam ad spectatorum strepitum arcendum. Veterum originum clericalis pileoli historia, cum illa item clericalis bireti confunditur. Et sane, biretum primitus erat valde amplius, binis ad latera similiter alis additis, quae super aures protendebantur Romanorum more, ac probabile est, ex eiusmodi operimenti genere clericalem ortum fuisse pileolum. Albinus Flaccus ait: « Ecclesiastici pileolos,

idest cuphias gestant in capite, dum assistunt Altaribus (*De div. off. c. 37*). De eo prima forte vice fit mentio in S. Hieronymi Epistola 153, in qua, amico Paulino gratias agens pro istiusmodi pileoli donatione, ait: « Pileum textura brevem, charitate latissimum, senili capiti conferendo, libenter accepi, et munere et muneris auctore laetatus ». Thiers vero, ut legitur in sua « Storia delle parrucche » opinatur ecclesiasticorum pileolum, in sacris functionibus, in Ecclesia non fuisse adhibitum ante annum 1250. Ante hoc tempus, dicit citatus auctor, iis tantummodo concedebatur, qui aut aetate graves, aut infirma affecti valetudine, damnum sibi eventurum timebant, si, capite discooperto, longioribus officiis adstarent. Longe tardius sane eius propagatus est usus, sive ad maiorem commoditatem, sive ad dignitatem significandam, cum prius hygienicam cautelam tantum constituerit.

Quoad pileoli clericalis symbolismum pauca dicenda suppeditantur, cum evidens nimium sit, eius morem introductum fuisse valetudinis servandae causa. Verumtamen, quae de bireti symbolismo dicta sunt, et ad pileolum applicari posse, plus minusve, autumamus, peculiariter vero quae honoris significationem important, prout est imprimis coloris differentia, color namque communiter adhibendus est niger. Inde evenit quod Paulus II minoris formae pileolum, et rubei coloris, Principibus S. Ecclesiae concesserit, ut ii a ceteris Praelatis distinguerentur, ubi nec bireto nec pileo uti poterant. Ita, ex Pii IX concessione, omnibus Orbis Episcopis facultas facta est violacei gestandi pileoli: quod et nonnullis Abbatibus ex privilegio pariter concessum fuit. Eiusdem coloris pileolum, semper ex privilegio, gestant Canonici Antuerpiae, atque alii eminentiores ecclesiastici. Summus Pontifex velut singularem praerogativam, prout fert habitus color, et pileolum albi coloris gestat. Alicubi tamen, inter Pontificalia,

color diei liturgicus a celebrante Archiepiscopo et in pileolo adhibetur, ita ut et albus interdum sit. Coccineo colore (*chermisi*) distinguitur pileolus Patriarchae Venetiarum; utitur rubro, in Pontificalibus tantum, Archiepiscopus Lucensis, ex Alexandri II privilegio; eiusdem coloris ab Archiepiscopo Coloniensi, antiquo Electore, defertur. Ita pariter ex privilegio Alexandri VI, ut fertur, ab Episcopo Dertonensi. Magno S. Ordinis Hierosolymitani Priori facultas esset illius gestandi, iuxta diei liturgiam, albi, rubri, viridis coloris.

Quod bireti clericalis formam attinet, dici potest, in latina Ecclesia antiquitus quatuor constitisse aequalibus lateribus in summo Crucis figuram praeseferens; hinc inde productis fimbriis tempora contegebat et aures. Hac ipsa ratione antiquitus repraesentatos videmus et monachos graecos, et Benedictinos quosdam. Nihilominus in graecis temporum tegumentum valde amplius notatur. Temporis decursu factum est ut gradatim immutationem subiret, antiqua remanente forma apud quosdam Regulares Ordines, prout superius ex Macrio adnotavimus. Lusitani clerici bireto utuntur nostro altius, et rotundae formae, quam et in veteribus coloniis invexerunt, uti ex. gr. in Brasilia et in Indiis.

Inter sex praecipuas caeremonias, quae in ecclesiasticis Universitatibus, ad Doctoratus gradum conferendum, locum habent, est quoque bireti impositio; quae significare videtur coronam seu lauream scientiae viris debitam, eiusmodi biretum quatuor distinguitur apicibus, ad communis clericalis bireti differentiam, quod tribus constat. Eius usus vetustissimus est: et sane, Nicolaus de Clemengis, in suo opere « De studio Theologiae », haec verba habet: « Non cappa quippe doctorem facit, non bireti magistralis impositio, non etc. » Doctorale biretum et ius docendi in-

dicat, uti ferunt Alciatus et Menochius. Illud tamen nec fuit unquam nec est ecclesiastici habitus pars, et ex eo probatur, quod olim, sicut et nunc, laicis pariter doctoribus et cancellariis traditum est (1).

II. Quando, quibus in functionibus, et cui, praesenti disciplina inspecta, biretum et pileolum adhibere, et num clericis inferioribus ea gestare liceat nec ne? Quidque peculiariter de bireto doctorali iudicandum?

Biretum clericale antiquitus adhibendum erat tam intra quam extra Ecclesiam. Videmus quippe Concilium ad Aquas Sextias celebratum, hanc imponere obligationem clericis, gravibus verbis, et ante illud hoc idem fecisse Biturigense Concilium. Ita pariter Synodus Brixiensis, et nationalis Mechliniensis in Belgio. Anno tamen 1607, ex S. Congreg. Episcoporum et Regularium consulto, Ordinarii obligationem abstulerunt clericis de bireto extra Ecclesiam deferendo, ecclesiastici pilei usum tolerando, ubi introductus fuisset. Quod tamen magni interest, observandum est, alicubi ne in Ecclesia quidem permissam fuisse bireti delationem; et ad hoc Canonici Cantuarienses Innocentium IV adierunt, ut bireti gestandi, inter divina officia, valetudinis causa, facultatem sibi tribueret. Respondit Pontifex: «Vestris supplicationibus inclinati vobis utendi pileis vestro ordini congruentibus, cum divinis interfueritis officiis, concedimus liberam facultatem». Scribit Bonanni, in nonnullis Germaniae Ecclesiis, etiam hodie mos esse, ut Canonici, aeque ac priores dignitates, caput cooperiant, aperto capite manentibus reliquis ex Clero inferiori. Iuxta notas Rubricas, generatim tenentur bireto ope-

(1) Apud sodalitatem advocatorum Romanae Curiae, in Ecclesia S. Luciae vulgo *Della Tinta*, eorum prior laicus bireto interdum utitur praedictae formae.

rire caput ecclesiastici, qui sacris vestibus parati ad Altare celebraturi accedunt: « Capite cooperti accedit ad Altare..... caput detegit, biretum ministro porrigit (*Rit. serv. Tit. II, 1, 2*)... Facta reverèntia, accipit biretum a ministro, caput cooperit (*Ttt. XII, 6*) ». Hae porro Rubricae adamussim observandae sunt, quacumque in contrarium non obstante consuetudine. Item alii parati, quando ad Altare accedunt, aut infra Sacras functiones sedent. Biretum deponitur in reverentiae et adorationis signum; in actuali ministerio ceterum semper adhibetur in ecclesiasticis functionibus, Processionibus, Concionibus, confessionum auditione, Baptismi exorcismis, etc. Nunquam stando in capite fertur cum Missae aut aliis divinis Officiis in choro assistitur. Nec per Ecclesiam incedendo (nisi forte omnino privatim, ex consuetudine) etiam in Processionibus, nisi in sacris paramentis fiant, aut saltem stola deferatur. In SS.mi Sacramenti conspectu, aut quando ad infirmos seu alias Processionaliter fertur, caput semper discoopertum esse debet. Cum S. Crucis Reliquia processionaliter fertur, item omnes aperto capite procedere debent (S. R. C. 2 Sept. 1690, n. **1481**); cum vero exposita manet non praescribitur ut nudo capite sit manendum, sed qui eam, aut alias quascumque, defert, etiam si paratus nequaquam caput operire potest (S. R. C. in *Firmana* 1 Dec. 1657, n. **1043**). Laudabilius item caput non cooperietur cum SS.mum Sacramentum velo coopertum in Altari manet (S. R. C. 10 Sept. 1796, in *Bracharen.* n. **2552**). Sacerdos calicem deferens celebraturus, reverentias et genuflexiones coopertus peragit, nisi utroque genu ei flectendum sit, tum enim, in genua procumbit, caput detegit, inclinat, cooperit et denuo erectus procedit. Incedentes sub baldachino, etiamsi non deferatur SS.mum Sacramentum aut Reliquiae, sed tantum Simulacra, discooperto tamen capite procedere debent

(S. R. C. 2 Sept. 1690, in *Caietana*, n. 1841, ad 1 et 3).

Biretum non deferunt Regulares ex Ordinibus Mendicantibus in liturgicis functionibus. Verum « Sacerdotes regulares, qui utuntur parvo capputio et pileo, possunt uti birreto dum procedunt ad altare celebraturi, et in reditu ad sacristiam (S. R. C. 15 Maii 1900, *Dub. I.*) ».

Ad expositorum complementum innuimus, in choro et Capitulis Monialium Theatinarum Neapolitanarum, a Ven. Ursula Benincasa fundatarum, biretum clericale superiorissam sibi imponere, Sacerdos, et adhuc Episcopus, propriis sibi manibus imponere et auferre biretum debet. Plures editi sunt Canones Conciliares, qui modum bireti gestandi praecipiunt; huiusmodi habet Concilium ex. gr. Astense et Hieracense, quod postremum edicit: « Bireta deferant non fronti, vel temporibus inclinata, sed capiti aequaliter imposita ». Episcopis cunctis potestas a Leone XIII facta est, biretum gestandi violacei coloris. (*Brev. diei 3 Februar. 1888*).

Pileolus, ut vidimus, ab initio, valetudinis ergo introductus fuit. Hinc S. Carolus Borromaeus, in primo Concilio Mediolanensi, pileolum deferre vetuit iis qui optima gauderent valetudine; Sarnellius illius usum generice reprobavit. Gratianus Decretum refert S. Zachariae Papae, quo haec statuit: « Nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda praesumat velato capite Altari Dei adsistere, et qui temere praesumpserit, communione privetur ». Labente vero tempore, pileoli usus plurimum invaluit, quia forte, cum arctioris evasisset formae et capiti adhaereret, vix consideratus fuerit tamquam verum capitis operimentum; verum S. R. Cong.tio moderandum eius usum existimavit, ac proinde Decretis pluribus statuit, nullimode esse adhibendum

in celebratione Missarum ac in ceteris Sacris functionibus; prout et per vias cum Sacramentum infirmis esset deferendum; ac si facultatem interdum, gravibus instantibus causis, concessit, inter Missarum solemnia Canonis tempus excepit, et in SS.mo sacramento deferendo nonnisi acrius hiemale tempus, aut infirmam valetudinem, et quidem extra oppidum aut civitatem, consideravit. Pileolum violacei coloris, saecularibus solemniis recurrentibus SS. Apostolorum Petri et Pauli, Pius IX P. M. Episcopis omnibus concessit tunc existentibus et futuris, cum antea ii tantum, qui singulari facultate praediti fuissent eiusmodi deferrent. Episcopus assistens Missarum celebrationi, consuetudinem suae Ecclesiae sequi potest in pileolo statim post elevationem resumendo, aut tantum post communionem (S. R. C. die 5 Dec. 1868, in *Nucerina*, n. 3188).

Cohonestavit item S. R. Cong.tio usum pileoli deferendi inter sacras functiones, ab ecclesiasticis assistentibus, non vero in actuali, ut dicitur, ministerio. Tenentur nihilominus pileolum deponere qui Invitatorium, Lectiones, Martyrologium, Responsoria brevia et Orationes in divinis Officiis dicunt; qui antiphonas et psalmos intonant aut aliud quid simile, deponere illum quoque debent omnes cum genuflectendum est, saltem brevi mora, cum Evangelium dicitur ante Homiliam, et initio Missae cum fit invicem Confessio, et *Kyrie*, *Gloria* etc. recitatur, seu in choro seu in circulis ante Episcopum; cum aspersio aquae benedictae, thurificatio et benedictio accipitur, datur aut recipitur Pacis osculum; alicubi a Praefatione ad Communionem, sin minus tempore consecrationis et elevationis, cum SS.mum Sacramentum palam, etiam in Pyxide expositum est. Prohibetur item pileolus et privilegium habenti, cum Missam coram Episcopo canit aut legit.

Coronidis instar, privilegium a Paulo V Missionariis Sinarum concessum innuimus, quo cum Sinenses gravem existiment irreverentiam capite aperto incedere, iis indulsit, ut in Sacramentorum administratione, et etiam in divinorum Mysteriorum celebratione, specialis formae biretum nigri coloris, sed acu pictum et vittis ornatum, gestarent, haud excluso Canonis tempore, nec in SS.mi Sacramenti consecratione et elevatione.

3. Pro quibus ratio pugnet quod quaestionem attinet, de qua in casu?

Quae theorice superius dicta sunt, circa bireti et pileoli usum inter clericos, ad propositum casum applicando, pro quibus pugnet ratio manifestum fiet. Dicitur primo, consuetudo invaluisse in pluribus capitulis, ex qua Canonici et Beneficiati nunquam in choralibus functionibus bireto caput operiant, illud prae manibus habentes tantum pro forma. Hic uti exponitur, de consuetudine agitur, quae in rituum materia, ut cohonestari valeat antiqua, laudabilis, Rubricis substantialiter et patenter non opposita esse debet, ac, cum agitur de multiplici personarum et actuum numero, etiam universalis. Unde, ab illa Ecclesia Cathedrali abstrahentes, in qua uniformis non est consuetudo, et de qua inferius, in aliis, ubi antiqua (saltem a decennio existens), non est improbanda ex aliis capitibus, est enim laudabilis, quippe quae ad maiorem loci et functionum sacrarum reverentiam inducta est, unde divinum cultum adauget: neque Rubricis aut Decretis adversatur, ad quod probandum satis est referre S. R. C. Cong.nis Decretum d. d. 14 Martii 1861, in una *S. Iacobi de Cile*, ad XI (n. 3104): « Dubium XI. An toleranda sit consuetudo, Canonicorum aliorumque in Choro praesentium numquam cooperiendi caput dum divina Officia peraguntur?... Ad XI *Affirmative, pro iis qui sacris paramentis non sunt induti* ».

Inspiciatur ceterum Caeremoniale Episcoporum v. gr. lib. II, cap. III, n. 8: « Cum dicitur versiculus *Gloria Patri* etc. in fine cuiuslibet psalmi omnes caput detegunt » et lib. VI, cap. VI, n. 12: « Stans (Celebrans), semper detecto capite, benedicat »; ex quibus inferre licet praescriptum ex lege esse tempus biretum deponendi, non autem illud sumendi, nisi cum sacra paramenta induuntur (*Rubr. Miss. et Caerem. Ep.* passim). Existente igitur praefata consuetudine, nullimode licebit cuiquam illi adversari, quemadmodum servanda omnino esset consuetudo standi detecto capite, uti mos est nonnullis Ordinibus et Congregationibus Regularibus, tempore divinae psalmodiae.

Quaestio, ut secundo loco dicitur, instituitur in quadam Ecclesia Cathedrali, num clericis inferioribus, et maxime Seminarii episcopalis alumnis, biretum in choro deferre liceat. A legitima consuetudine praescindendo, de qua superius diximus, quae, etsi inter Canonicos aut etiamsi inter alios Capitulares, non haberetur, valeret quidem sustineri pro inferioribus clericorum coetibus, dicimus: quod cum biretum complementum sit habitus clericalis, quamvis inter choralia indumenta, absolute assumenda, non recenseatur, nulli, etiamsi clerici tantum vestes habeat, nec tamen sit initiatus, negandum est, etiam in choro, qui locus illi iure aut consuetudine competit. Ita et alma in Urbe Seminariorum et Collegiorum videmus alumnos, quamvis ne tonsura quidem insignitos, biretum capiti imponere inter Sacra. Accidit vero interdum, ut, quamvis Canonici et Beneficiati biretum non deferant, illud inferiores clerici adhibeant; haec sane viget in nonnullis Germaniae Ecclesiis consuetudo, ut refert Bonanni; quod ex historica comprobari videtur ratione: cum enim ii, pluribus in Ecclesiis, cappa uterentur, haec caputium ad caput operiendum haberet, ac bireto proinde non indigerent, factum est, ut usu caputii

obsoleto, nec biretum assumptum fuerit; dum e contrario, cum inferiores clerici cappis non essent insigniti, bireto usi iampridem fuerunt.

De pileolo tamen, non videmus posse merito disceptari; compertum quippe est, magis illum hygienis ac commoditatis rationem habere quam iuris, et, nisi illum dicamus effugium a lege, cum caput iubet nudatum teneri, profecto legis epicheiam appellare vellemus. Ceterum dignitatis seu distinctionis insigne tunc retineri valet, cum seu tempus alias positive vetitum seu color eius gerendi rationem indicant. Quid dicunt adversarii de plurimorum Regularium Ordinum et Congregationum alumnis, qui, nemine contradicente, nec scandalum patiente, pileolum gestare solent?

Hinc tam Canonici in casu generice faventes alumnis, biretum et pileolum sanitatis ergo deferentibus, quam alii illis adversantes, eo quod illa non sint habenda tamquam choralia indumenta, ex S. R. Congregationis Decreto, canunt extra chorum, etenim legi adversari nefas est, onera imponere quae a lege non sunt, privatae non est auctoritatis. Unde,cum S. Liturgia sacras doceat caeremonias et non hygienem, consuetudines, si quae sunt antiquae, laudabiles etc., sint retinendae, legitimae auctoritatis mandata observanda, consequitur mediam tenendam esse viam, quae pluribus non obsit offendiculis, et recte agendi sit magistra. Quod alumni ignorent, quando biretum et praesertim pileolum gestare valeant in choro, quando deponere eiusmodi indumenta debeant, non est sufficiens ratio, cur absolute negetur iis clericis illorum usus, praestaret sane eos obligare ut regulas ediscerent, quatenus illis uti peroptarent.

Biretum doctorale quatuor apicibus constans, iam diximus, confundendum non est cum clericali, ac proinde nullimode in choro adibendum. Concedimus vix dici

posse dedecus cultui afferre, sed singularis difformitas non est profecto admittenda, praecipue in sacra Liturgia, competentis enim tantum auctoritatis est novos inducere mores, in nostro casu vero certa lex obstat. Generatim demum dicendum, laudandos esse Canonicos uniformitati sedulo studentes; at est modus in rebus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Belgio.* **De cohaerentia inter duo Decreta circa Missas lectas de requie in die obitus.** Quaeritur quomodo inter se concordent Decretum in *Agennen.* Dub. I ad 3, num. 3957, et aliud in *Vicen.* d. d. 3 Apr. 1900?

Resp. Primum dicit Missas lectas de requie in die et pro die obitus posse fieri in qualibet Ecclesia vel Oratorio, tam publico quam privato: dummodo serventur clausulae et conditiones expressae in Decreto *Aucto*, et in una *Romana*. Hae autem sunt: *a*) ut Missa lecta in Oratorio privato seu domestico, si eo Sacerdos gaudeat, dici possit, praesente saltem moraliter cadavere: *b*) ut possint Missae eaedem lectae fieri, in Sacellis et Ecclesiis sepulcreti: *c*) similiter ut fieri possint in omnibus aliis Ecclesiis et Oratoriis publicis cadavere, semper, ut supra, supposito, quo tamen in casu sub conditione ut non omittatur Missa exequialis, seu cum cantu: *d*) ut omnes Missae lectae, in dictis casibus, applicentur pro defuncto: *e*) denique ut eaedem Missae lectae non dicantur in duplicibus primae classis, Dominicis, festisque de praecepto.

Nunc videamus quid alterum Decretum praedicet. Primum dubium dicit Missas lectas non posse fieri nisi in

Ecclesia, ubi funus agitur, haud vero in aliis. Ratio est, quia in aliis nulla praesentia cadaveris comprobatur; at vidimus iam praesentiam vel physicam vel moralem cadaveris esse unam ex conditionibus, ut Missae lectae celebrari valeant. Ergo ad hanc quod attinet dispositionem duo Decreta perfecte concordant inter se. Secundum huius Decreti Dubium declarat, circa unam tantum Missam lectam, vel diversis diebus plures, ab eodem Sacerdote celebrandas, in casu, intellige praesentiae cadaveris, standum esse Decretis. Cum autem hac de re adhuc sub iudice lis esset, aduc quoque sub iudice manet; nulla ergo admitti potest discordantia inter utrumque Decretum. In responso ad III et IV dubium repugnantia est impossibilis, quia in eo referuntur fere ad literam verba alterius Decreti, ex quibus declaratur, Missas lectas in Ecclesiis publicisque Oratoriis esse tantum permissas, si Missa exequialis pro funere habeatur, in Oratoriis vero domesticis sufficere praesentiam cadaveris, reliquis servatis clausulis.

Videat ergo adm. Rev. Consulens, duo Decreta non sibi ad invicem contradicere, sed adamussim cohaerere, dummodo recto sensu intelligantur.

II. *Ex Hispania.* Cum occurrit Festum Expectationis partus B. M. V. in feria quarta quatuor temporum Adventus, Directorium Divini Officii cuiusdam Dioecesis sic se habet: *In Cathedrali una tantum Missa cantatur de Festo, quia Evangelium festi idem est ac feriae.*

Quaeritur: Num haec doctrina sustineri possit, eo vel magis quod non tantum Evangelium sed et fere omnia communia sint in utraque Missa? Et quatenus *affirmative:* An idem dicendum sit in occursu praedictae Feriae et octavae Immaculatae Conceptionis aut festi Translationis Domus Lauretanae B. M. V.?

Resp. Affirmative ad 1^{um}: ad alterum negative. Ratio est *bis in idem*, quod Rubricae et Decreta respuunt.

Ita ex. gr. statuunt Rubricae Generales in feriis maioribus Adventus et Quadragesimae, si aliqua Vigilia occurrat, nihil de hac agendum esse in Officio. Ratio unica est *bis in idem*, quia de cetero de eadem vigilia com. agenda est in Missa, quia *bis in idem* non comprobatur. Siquidem Versus feriales ac Vigiliae iidem essent. Item Rubrica specialis notat, festo Expectationis Partus occurrente cum feria IV Quatuor Temporum Adventus, Evangelium in fine illius Missae, quod de feria esse deberet, omittendum esse, eique consuetum S. Ioannis sufficiendum. Ratio est *bis in idem* vitandum; quia festum et feria praedicta eodem Evangelio gaudent. Item Decretum 4037 ad II disponit, occurrente festo Deiparae in Vigiliam Assumptionis eiusdem, commemorationem Vigiliae esse omittendam, profecto ex eadem ratione. Iam nunc ratio non suppetit, cur idem principium, quod ex Rubricis et Decretis est, non sit applicandum pariter ad Missam quod attinet, imo a fortiori. Etenim minus certe foret repetitio ex. gr. eiusdem versus, eiusdem Evangelii, eiusdem propemodum Orationis, quam eiusdem fere Missae iteratio, et quidem in cantu. Eapropter, seu ad primum seu ad alterum dubium propositum affirmative iure merito reposuimus.

Notandum credimus, responsum nostrum non esse adversum peculiari Rubricae Missalis, quae prostat die 15 Dec. in Octava Imm. Conceptionis B. M. Virginis. Ea namque praescribit, occurrente die 15 Dec. in feria IV Quatuor Temporum, *in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis* duas Missas esse dicendas unam *de Octava*, alteram *de feria*. Ratio est, quia eiusmodi Rubrica principium generale admittit, quod indubie servari debet; etiam in Translatione Almae Domus Lauretanae, sed non tangit specialem casum, vi cuius una et altera Missa iisdem fere prorsus identicis gaudeat partibus, ut *bis in idem* omnino comprobetur. Itaque, sicut Octava Conceptionis occurrente in feria IV Quatuor Temporum duae Missae sunt cantan-

dae, altera de festo, altera de feria, ita Expectatione partus in eamdem feriam incidente, duae Missae forent canendae ut supra. At in primo casu regulariter res procedit, haud vero in altero, propter *bis in idem*, quod comprobatur. Stat ergo Rubrica; sed in casuservari non potest.

Equidem docet a Carpo: « Officium excipitur Expectationis partus B. M. Virginis incidens in feriam IV Quatuor Temporum.... Attamen, quin obstet identitas Evangelii, duae Missae Conventuales in Ecclesiis Cathedralibus etc. erunt celebrandae *(Biblioth. Liturg.* part. 2, n. 203 ». (Citatque ad rem Cavalerium Tom. II, Cap. XV, n. 13, qui optime loquitur ex generali principio. Sed agit ipse de Octava Conceptionis incidente in feriam IV Quatuor Temporum, non vero de Expectatione partus: ad quod festum applicat a Carpo quae de Octava Conceptionis Cavalerius disserit. Sed bene Cavalerius, incongrue loquitur A Carpo. Sane, si duae Missae dicendae forent, eadem fere Missa bis esset dicenda, nempe Missa **Rorate**; habetur enim in utraque idem Introitus cum versu psalmi, eadem Epistola idemque Graduale, idem Evangelium, saltem ex parte, idem Communio, solum Offertorium et Orationes diversae: quae profecto stare non possunt.

III. *Ex Ecclesia S. Aloisii in America.* **De festo S. Ludovici, an die 25, an 26 Augusti celebrando.** Clerus huius Ecclesiae usque ad annum 1880 festum S. Ludovici die 25 Augusti celebravit. Ab eodem anno usque in praesens dies 25 in 26 mutata fuit, et hac die nunc dictum festum recolitur. Ratio mutationis fuit alterius Calendarii adoptatio; nam ante an. 1880 adoptabatur Calendarium universale, vi cuius S. Ludovicus die 25 recolitur: postea vero adoptatum est Calendarium Cleri Romani, in quo idem Sanctus die 26 agitur. Quaero itaque, qua die in mea Ecclesia hoc festum patronale sit recolendum?

Resp. Ideo Romae die 25 non fit de S. Ludovico,

quod statutum est fieri de S. Bartholomaeo: de quo hac die vel martyrium agitur, vel iuxta alios translatio illius in insulam Tiberis ab Othone II Imperatore peracta anno 983 (*V. A*). *Carpo Biblioth. Liturg. hac die*). Quidquid vero sit de die propria S. Apostoli, seu 24 dicti mensis, in qua recolitur a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbeiensi breviore, Martyrologio Reginae Sueviae, et caeteris Latinorum, inficiandum non est, Romae die 25 Augusti praeferri S. Bartholomaeum Sancto Ludovico, sive quia ille est Apostolus, sive quia ritu longe est S. Ludovico superior. At quaestio quae spectat S. Apostolum, nequaquam vel minime tangit S. Ludovicum, quippe qui pro die propria, ullam citra controversiam, habet diem 25 dicti mensis Augusti. Constat indubie ex historia, atque ex eodem Martyrologio Romano, quod die 25 docet legendum esse (Romae) primo de festo S. Bartholomaei; sed non ideo reticendum S. Ludovicum, qui utpote in die sua statim legitur post S. Apostolum. Eadem ergo dies, ad minus, propria est et S. Bartholomaei et Sancti Ludovici, quod tamen ultimum inficiari non licet.

At certum est, S. Ludovicum in casu esse Titulum Ecclesiae propriae; ideoque eius festum est particulari quidem in Ecclesia solemnius, quod vi Rubricarum non solum recolendum est sub ritu duplici I cl. cum octava, sed praeferendum etiam aliis omnibus quibuscumque, solis exceptis festis solemnioribus universalis Ecclesiae. Ergo praeferendum est S. Bartholomaeo Apostolo, cuius festum Titularis rationem non habet, et est tantum dup. II cl. sine octava. Hinc merito docet A Carpo (*Calend. Perp. Adnot. in mens. Aug. die 25, II*): « Apud Tertiarios Franciscales extra Claustra degentes festum S. Ludovici, utpote eorum principalis Patroni, est dup. I cl. cum octava; ideo-

que apud ipsos celebrandum ubique est hac die vigesima quinta ». Porro Titulus Ecclesiae satis longe praestat, quam peculiaris Patronus alicuius Ordinis, de quo Rubricae silent.

Consequenter nil dicemus contra agendi rationem R.mi Ordinarii, imo laudibus et iure illum prosequimur, quod Calendarium Cleri Romani adoptatum voluit pro sua dioecesi, et credimus in obsequium ac deferentiam erga S. Sedem. At mutationem diei festi Titularis iam antea die sua, hoc est 25 Augusti, celebrari soliti nec commendare, nec probare possumus, utpote potius erratam, quam excusatione dignam. Namque festa patronalia, ad quae Titulare pertinet, ius habent ut recolantur in die propria, nisi gravissima in contrarium ratio urgeat; quae tamen in praesenti casu nulla prorsus est. Ergo consultius ad pristinam consuetudinem redeundum est, et die 25, non 26 Augusti semper in Ecclesia S. Ludovici, hoc festum celebrari fas est, festo S. Bartholomaei in diem primam liberam translata iuxta Rubricas.

IV. *E Gallia*. **De commemoratione diei octavae agenda, occurrente duplici I classis**. Posito Decreto nuperrimo *(V. Ephem. n. 2, pag. prima)*, vi cuius perpetuo simplificatus, uti simplex considerandus est, sequi videtur, Diem octavam, in quam incidat Dupl. I cl. considerandam esse uti simplicem, proindeque non esse commemorandam. Verumne?

Resp. Fatemur aperte, consectarii derivationem legitimam e Decreto nequaquam videmus. Imprimis, ex expositis non videtur agi de die octava, quae in perpetuum sit redacta ad instar simplicis. Agitur enim de pluribus Titularibus aut Patronis, qui incidunt in diem aliquam octavam. At num in perpetuum id accidit? Dubium non explicat, et difficile supponi potest. Sed praeterea Decretum, de quo agitur, verba facit de festo duplici vel semiduplici

ad instar simplicis redigendo ; at festum duplex vel semiduplex in casu supponi ne potest comprehendere etiam diem octavam, sive quia, licet uti duplex min. consideretur, suis in occcursu privilegiis gaudet, sive quia ex natura sua transferri nequit ? Non videtur. Denique, non cognoscimus locum quemcumque Rubricarum, seu generalium, seu specialium, ubi doceamur, diem octavam per accidens redactam ad instar simplicis, propria commemoratione destitui , occurrente duplici I classis. Si autem redacta ad ritum simplicem per accidens, non destituitur commemoratione, quare ad eumdem ritum redacta in perpetuum sua commemoratione carebit ? Equidem Titulus IX, n. 4 docet in primis Vesperis duplicis I cl. non esse agendam commemorationem de die octava : sed supponit hanc diem octavam iam fuisse in I Vesperis et Laudibus diei praecedentis commemoratam. Ceterum sub fine dicti Tituli explicita lex habetur: « Quod si huiusmodi festum solemne (*dup. 1 cl.*) ....occurrat in die octava... de ea fiet com. in utrisque Vesperis et Laudibus ». Id autem constat etiam ex duobus de occursu et concursu tabellis, quae dup. I cl. occurrente vel concurrente cum die octava, de hac semper commemorationem faciendam notant. Hinc D Piacenza dies octavas non privilegiatas docuit tertium ordinem duplicium minorum constituere, quae scilicet, occurrentia cum duplicibus primae , uti etiam secundae classis, commemorationem non amittunt.

Cum itaque compertum sit , diem quamcumque octavam ad instar simplicis redactam non amittere commemorationem, etsi cum duplici I^ae^ aut II^ae^ cl. occurrat per accidens, compertum similiter esse debet, eamdem diem octavam ad eumdem ritum redactam in perpetuum, eamdem commemorationem non amittere. Etenim, ad casum nostrum quod pertinet, inter utramque reductionem discrimen intercedere non potest. Palam sequitur ex dictis,

diem octavam alicuius Patroni aut Titularis Ecclesiae, etsi perpetuo occurreret cum aliquo duplici I^ae^ vel II^ae^ classis, non ideo remanere suppressam; sed de ea commemorationem faciendam esse in utrisque Vesperis et Laudibus. Consequenter, quod Decretum, de quo in casu, praedicat relative ad duplicia et semiduplicia, quae in duplicibus I^ae^ classis, non vero 2.^ae^, suppressa manent, ad dies quoscumque octavos applicari, nec potest nec debet.

V. *Ex Utino.* **De requisitis ut quis dici valeat alicui Ecclesiae addictus pro festo Tituli et Dedicationis agendo.** Parochia quaedam plures complectitur pagos, et Parochus curam immediate agit in pago residentiali (principali), mediate vero in aliis. In his habetur proprius Curatus vel Cappellanus, qui quotidie Sacrum facit, curat infirmos, sepelit mortuos, et ex delegatione Parochi primarii administrat Baptismatis et Matrimonii Sacramenta. Stipendiatur a pagi incolis, et mittitur, manet et removetur, non Parochi sed Ordinarii nutu.

Item saepe Parochis assistit unus, vel plures Sacerdotes, qui vel in Canonica morantur, vel in alia domo, et vel a Parochis stipendiantur vel ab incolis ipsis.

Quaeritur utrum, tam illi quam isti dici valeant Ecclesiae, cui inserviunt, ita addicti, ut teneantur ad Officium Titularis et Dedicationis.

Resp. Affirmative ad utrumque. Cum dicitur Sacerdos alicui Ecclesiae addictus, intelligitur generatim ut ex sibi commissa auctoritate omnia vel fere omnia munia peragat, quae cultum illius spectant. Commissio autem nonnisi ab Ordinario mediate vel immediate provenire potest. Ita Decretum in *Oceten.* n. **3431** (5708) Pars prim. ad I, declarat addictos esse Ecclesiae non solum Parochum, sed etiam Vice-Parochum, atque Coadiutores. Ratio est, quia etsi principalis auctoritas commissa penes Parochum sit, nihilominus alii quoque, plus minusve illius

participes sunt, utpote illi Ecclesiae ab Ordinario destinati, ut cultum curamque exerceant, tamquam in propria Ecclesia. Vi autem praedictae commissionis omnia munia explent, omnia sacramenta administrant, ac reliqua peragunt sacra ministeria, non casu, non semel vel iterum, sed permanenter et ex officio, quamvis aliqua inter eos sit dependentia, uti inter superiorem et inferiores.

Non addicti vero illi censentur, qui vel pro una aut altera vice, tamquam alterius munus agentes, vel casu et per accidens vel etiam per tempus aliquod longius, aliqua munia explent vel Sacramenta administrant etc. Id quod accidit aliquando de aliquo sacerdote, qui vocatur a Parocho, ut auxilium sibi praestet, puta ex caritate, ex benevolentia etc. Ita Decretum in *Mechlinien.* declarat non censeri adscriptos Ecclesiae Sacerdotes aliquos, quia Missam in illa celebrabant, Confessiones audiebant, aut alia quaedam ministeria exercebant; non quod id ex commissa ab Ordinario auctoritate agerent, sed ex propria caritate, vel ad summum illo assentiente, et tamquam extranei *(num.* 2872-4985, *ad 1*).

Iam nunc in casu nostro constat, Ordinarium commisisse tam primis quam alteris Sacerdotibus Ecclesiarum cultum et curam, adeo ut singuli exerceant ex dicta commissione omnia munia, omniaque Sacramenta administrent, vel administrare valeant. Imo stipendium ad id accipiunt a Parocho, imo primi ab ipsis incolis: quod profecto significat, Ecclesias illas uti proprias illos habere. Nec obstat, quod pro Baptismo et Matrimonio a Parocho primario aliqui delegationem accipiant, quod fortasse ex aliqua conventione ad bonum Ecclesiae vel ad aliquid dependentiae ostendendum provenit. Nam revera dicti Sacerdotes ibidem ab Episcopo sunt positi permanenter, nec nisi ex illius auctoritate removeri possunt. Sunt ergo omnes et singuli in propria Ecclesia, ab auctoritatem habente ipsis assignata,

cui proinde indubie sunt addicti, et inscripti de iure censeri debent. Atqui Sacerdotes alicui Ecclesiae vere addicti tenentur ad Ecclesiae eiusdem festa propria recolenda; ergo agere indubie debent festum cum Officio et Missa tam Tituli quam Dedicationis, quae propria festa sunt.

VI. *E Lincio in Austria superiori.* **De quarumdam dierum octavarum concursu inter se.** 1. Dies octava S. Angeli Mart., cuius festum primarium est dup. II classis, concurrit cum die octava Patrocinii S. Ioseph, cuius festum est secundarium et dup. I classis, agiturque magna cum solemnitate: quomodo ordinandae sunt Vesperae?

Resp. Pro festorum praecedentia in concursu normae, quae assignantur, et quidem ordinatim in Rubricis, sunt: *a)* ritus, *b)* qualitas primarii vel secundarii, *c)* dignitas personalis. Iuxta has normas festum ritus superioris vel potioris classis praefertur alii ritus vel classis inferioris, aliis normis neglectis: in paritate ritus vel classis, festum primarium praefertur secundario, tertia neglecta norma: ritu et qualitate primarii vel secundarii paribus, praefertur festum dignitate personali potius. Dies octavi considerantur ut festa, a quibus relativam desumunt dignitatem, et cuius ritum aliquomodo participant; non quatenus esse ii possint I aut 2 classis, aut ritus duplicis maioris, cum duplicia minora sint semper, sed quatenus ritus et dignitas festi influunt in dies octavos ut praelatio alterius prae altero inferatur. His positis nullius est negotii solutio propositae petitionis, cum praeferri debeat illa dies octava, quae ad festum potioris ritus pertinet. Atqui eiusmodi est dies octava Patrocinii S. Ioseph, cuius festum est dup. I classis; ergo. Non autem obstat, quod Patrocinium sit secundarium; quia haec qualitas, attento ritu festi, consideranda non est, nisi secundo loco, hoc est post qualitatem ipsius ritus seu classis. Obiicies quidem, hanc qualitatem pertinere ad festum, non ad diem octavam. Concedimus, in-

fluit tamen in diem octavam, ut alteri inferioris ritus praevaleat. Ergo, in casu, dies octava festi Patrocinii S. Ioseph integras habeat Vesperas, cum commemoratione diei octavae S. Angeli Mart.

2. Dies octava B. M. Virginis de Perpetuo Succursu, Titularis, cuius festum est primarium et mobilis instar, et dup. I classis, concurrit cum die octava S. Ioannis Baptistae: quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. Hic ratiocinatio superius facta applicari non potest; agitur enim de duobus festis solemnioribus, quorum alterum ad Ecclesiam particularem, alterum ad universalem pertinet. Hinc, clausis oculis, integrae Vesperae pertinent ad diem octavam festi solemnioris universalis Ecclesiae, altera commemoratae.

3. Dies octava Praesentationis Deiparae, cuius festum secundarium est dup. II classis, concurrit cum festo primario, inferioris dignitatis et ritus duplicis minoris: quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. Praesentatio, cum sit festum secundarium, eius dies octava nullo gaudet privilegio contra duplicia minora. Iam nunc, iuxta normas in primo responso assignatas, primum locum obtinet ritus, secundum locum obtinet qualitas primarii vel secundarii, tertium locum obtinet dignitas personalis. Cum ergo festum Deiparae sit secundarium eius dies octava habetur simpliciter ut duplex minus absque privilegio. Atqui inter duplex minus secundarium et duplex minus primarium, hoc illi praevalet; ergo integrae Vesperae, in casu, duplici minori tribuendae sunt, die octava secundaria commemorata.

4. Quid, si eadem dies octava Praesentationis concurreret cum alia die octava festi primarii eiusdem classis, inferioris dignitatis personalis?

Resp. Qualitas primarii praevaleret; quia in ritu seu classe est paritas, et dignitas personalis tertium locum ob-

tinet. Ergo integrae forent Vesperae de die octava festi primarii, cuius qualitas obtinet secundum locum.

VI. *Ex eod. loco.* **De iisdem ut supra diebus octavis occurrentibus inter se.** Iisdem, ut supra, festis occurrentibus, quibus competit praelatio?

Resp. 1. Occurrentibus simul octava Patrocinii S. Ioseph, festi dup. I cl., et die octava S. Angeli Mart. festi dup. II cl., faciendum de prima, et altera commemoranda ex iisdem superallatis momentis, quae aeque in casu militant.

2. Occurrente die octava Deiparae Titularis et die octava S. Ioannis Baptistae, ex ratione allata quae pro occurrentia pariter militat, de die octava S. Ioannis Baptistae agendum, et altera commemoranda.

3. Dies octava quaecumque in occurrentia suo gaudet peculiari privilegio, quod nequeat transferri. Ergo dies octatava Praesentationis Deiparae occurrens cum duplici minori, neglectis omnibus, recolenda est; et dup. minus commemorandum, si privilegio translationis non gaudeat, secus transferendum.

4. Eadem dies octava Praesentationis occurrens cum alia die octava festi primarii, sed dignitatis inferioris, de octava festi primarii, licet inferioris dignitatis, agendum est, idque ex rationibus allatis, quae et pro occurrentia vim possident.

Nota 1. Quod pertinet Octavas infra Nativitatem Domini concurrentes S. R. C. nihil voluit mutare, et peculiares Rubricae servandae sunt.

Nota 2. Dies infra octavam in occursu iisdem legibus subiacent, ut de ea die agendum sit infra octavam, quae est octavae praevalentis in festo, iuxta rationem classis, aut primarii, aut dignitatis.

VII. *E Crema.* **De Initiis S. Scripturae impeditis.** Die 1 Febr. hoc anno 1901, S. Ignatius Mart. dup. min. ha-

bet in I Nocturno lectiones de Scriptura occurrente: die 2 fit Purificatio, in eaque commemoranda est Dom. IV post Epiphaniam, anticipata, quae haberet Initium proprium Sacrae Scripturae, et insuper tria alia Initia infra hebdomadam, hoc anno locum haberent. Hinc quaeritur: Utrum in festo S. Ignatii reponendum sit aliquod Initium anticipatum, an legendae lectiones de Scriptura occurrente?

Et quatenus affirmative ad primam partem: An dicto in festo legendae sint lectiones de Dom. IV, an potius 1 lectio esse debeat Initium seu *Incipit... ad Philippenses* (Dom. IV), 2 lectio *Incipit... ad Colossenses* (Fer. III), 3 lectio *Incipit.., ad Thessalonicenses* (Fer. V)? Calendariis pluribus dissidentibus, quae legi, ipse responderem: Ad 1 *Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam.* Ad 2 *Provisum in primo.* Recte ne? Etenim duae, in casu, occurrunt sequendae normae: *a*) Initia sunt anticipanda, posticipanda, iungenda, dummodo pro iis locus suppetat. *b*) Eadem Initia, si a peculiaribus dispositionibus abstrahas, asportanda non sunt extra propriam hebdomadam. Nunc autem exploratum est, cum Dominicae anticipatione incipere quoque hebdomadam eiusque relativa iura; sed haec iura nequeunt ultra ipsam Dominicam asportari. Cumque hoc anno ne unius quidem Initii collocatio sit possibilis, quae ad hebdomadam pertinent Dominicae die 2 Februarii anticipatae, siquidem lectiones omnes proprias obtinet; eadem Initia omitti necesse est, ne ultra quam par est asportentur.

Resp. Praeceptum Rubricae est, Dominicas post Epiphaniam, quibus post Dominicam XXIII Pentecosten locus non suppetit, quia a Dominica Septuagesimae impediuntur, aut per officium aut per commemorationem esse anticipandas *(Rubr. Gen. Brev. Tit. IV, n. 5)*. Ergo in casu allato nostro Dominica IV post Epiphaniam, cum

locus ei non suppetat ante Septuagesimam, anticipari debet, nisi per officium ob dies a festis novem lectionum occupatos, indubie per commemorationem. Iam nunc non intelligimus qua de causa adm. Rev. consulens in diebus impeditis enumerandis pro ea reponenda incipiat a die I Februarii, quae hoc anno incidit in feriam VI ultimae hebdomadae ante Septuagesimam. Etenim habentur alii dies, uti 28, 29, 30 ac 31 Ianuarii, qui diem 1 Febr. praecedunt, eamdem hebdomadam efformant, et ex quibus fortasse aliqui tempus utile constituunt seu pro Dom. IV post Epiphaniam, seu pro Initiis impeditis anticipandis.

Itaque, si in Calendario Cremensis Dioecesis dies 28 Ian. festum novem lectionum non habet, evidenter eo die anticipari debebat Dom. IV post Epiphaniam per officium; et tunc eadem die (fer. II hebdom.), cum feriale ageretur officium, nonnisi tres lectiones de Homilia recitandae erant. Die autem 30 Ian. si ibi agebatur de festo duplici minori, in I Nocturno Initium Epist. B. Pauli Ap. ad Philippenses (e Dom. IV p. Epiph.) erat legendum; et die 31 eiusdem mensis, duplici minori posito, legendum erat Initium Epist. ad Colossenses (ex fer. 3 p. Dom. IV), pro 2ª autem ac 3ª lectione *Incipit Epist. 1 ad Thessalonicenses* (ex fer. V p. Dom. IV). Demum prima die Febr. locum habere poterat ac debebat in I Nocturno Initium Epist. II ad Thessalonicenses (ex Sabb. p. Dom. IV).

Si vero die 28 Ian. in Calendario Cremensi occurrit officium novem lectionum, ea in hypothesi officium Dominicae anticipatae erat omittendum, cum locum habere non posset infra totam, quae Septuagesimam praecedit, hebdomadam ; de eaque Dominica IV, sola facienda erat commemoratio in die Purificationis, seu 2 Februarii.

Haec quidem Decretis et auctoribus probatis innixus docet A Carpo (*Biblioth. Liturg. pars. III, n. 89*): hoc in praxim ipsimet redegimus in specimine Calendarii, quod

pro anno vertente 1901 num. 5 praeteriti anni exhibuimus Consociatis.

Eapropter, in altera hypothesi, die 30 Ian. legendae erant tres lectiones de Initio ad Ephesios, die autem 31 et 1 die Februarii lectiones de Scriptura occurrente fas erat legere, Initium vero Dominicae IV omittere.

IX. *Ex Hispania.* **De Initiis pariter impeditis Sacrae Scripturae.** Quando per totam hebdomadam occurrunt festa duplicia 1ae vel 2ae classis, adeo ut impeditum maneat initium aliquod Sacrae Scripturae, quod in propria Dominica legi nequaquam potuit, quid faciendum? Omittine debent in casu lectiones propriae primi Nocturni alterius ex Officiis dupl. 2ae classis occurrentibus, ut locum praebeant lectionibus praefato initio? — I. e.: In cuiusdam Religiosae Familiae Calendario, an. 1902, die 21 Sept. (Fest. S. Matthaei) occurrit Dom. IV Sept., diebus vero 22 et 23 fit de dupl. I classis, ac die 24 de B. M. V. de Mercede, dup. 2 class., ac demum die 25 incipit hebdom. V. Sept. cum initio Libri Esther. Ubinam ergo ponendum Initium Libri Iudith (Dom. IV)?

Resp. Decreta, quae praescribunt Initia omnino impedita Sacrae Scripturae praeferenda esse, si aliter fieri nequeat, lectionibus propriis aut de Communi assignatis, adeo ut hae omitti debeant ut illa dicantur, respiciunt tantum semiduplicia et duplicia, tam minora, quam maiora. Sed nullum Decretum explicite advertit, praefatam legem tenendam esse etiam quando Initia impediuntur per lectiones proprias vel de communi assignatas pro duplicibus classicis. Inde hoc in casu lectiones proprias vel de communi periti praeferendas docent Initiis Sacrae Scripturae, quae consequenter prae illis omittenda sunt. Ita docet certe Guyetus pro festis duplicibus I classis, ut *in festo Dedicationis aut Patroni*, **aliove iis pari** *(Lib. IV, Cap. XVI, quaest. 6)* ». Ita et Gavantus: « Quae item *(lect.*

propr.) legi debent, ex Rub. n. 9, hoc est in festo Patroni loci, Tituli, seu Dedicationis Ecclesiae *(Sect. V, Cap. XII, n. 14)* ». Ipsemet autem Gavantus eamdem normam extendit etiam ad duplicia II classis, prosequens: « et in festis secundae classis, ob maiorem solemnitatem, quod etiam fit in Breviario *(Loc. cit.)* » Eamdem post Guyetum et Gavantus exhibet tenendam normam Cavalerius: « Haec itidem fuit sententia Gavanti *(omittendi scilicet lectiones proprias vel de communi, ut ponantur Initia)*, qui et in postrema recognitione Breviarii asserit fuisse decretum, Guyeti: **quod tamen fieri non probat** in festo Dedicationis, Patroni Ecclesiae, aliove iis pari, scilicet primae classis: « tu autem idem cum Gavento iudicium facito **de duplici II classis**, huiusmodi enim festa plurimae sunt solemnitatis, et ideo importare credimus *causam... legitimam*, ob quam praecedens Decretum statuit omitti posse aliqua ex Initiis Prophetarum *(Tom. II, Cap. XXXIV, Decr. XVI, n. IV)* ». Tantae ergo tantorumque Doctorum auctoritati innixi secure concludimus respondendo proposito Dubio, Negative, videlicet: Non sunt in casu omittendae lectiones propriae I Nocturni alterius ex officiis duplici 2ae classis occurrentibus, ut locum praebeant lectionibus praefati Initii, sed ex opposito hae sunt omittendae, ut illae dicantur.

Nota. Dubium circa tres lectiones II Nocturni in festo Inventionis S. Stephani resolutum invenitur in n. I Ian. vertentis anni *(pag. 17, II)*: quod et festo S. Gregorii Thaumat. (17 Nov.) applicandum certo certius est.

X. *E Turonibus.* **De distinctione inter Initia S. Scripturae.** A. Carpo Bibl. liturg. p. 191, n. 48 distinguit Initia Scripturarum occurrentia in Dominicis et Initia occurrentia infra hebdomadam. Porro, Initia Ep. II S. Ioan., Epistolae III eiusdem, et Epist. B. Iudae occurrunt infra hebdom. quae praecedit Pentecosten.

Si impeditur Initium Epistolae III S. Ioan. assignatum fer. 6 (quum f. 5 Octava Ascensionis habeat lect. I Noct. proprias), debet ne coniungi Initio Epistolae II S. Ioan. fer. 4, aut Initio Ep. B. Iudae Sabbato?

Quid si impeditur utrumque Initium, et adsit dies liber ante fer. 4, puta, fer. 3? debet ne utrumque reponi in hanc diem praecedentem liberam, aut reponi cum Ep. B. Iudae Sabbato?

Resp. Textum allati auctoris serio perpendimus, et haec adm. Rev. Consulenti respondendum credimus. In Calendaria ordinantium libertate esse censemus, vel anticipandi Initium Epistolae III. S. Ioannis Ap. si in feria VI post Octavam Ascensionis impeditum fuerit, in feriam IV praecedentem, ut iungatur duabus primis Lectionibus de Initio Epistolae II eiusdem Apostoli, vel posticipandi in sequens Sabbatum, ut iungatur duabus lectionibus S. Iudae, hoc est: 1 lect. *Incip. Epist. II. B. Ioan. Ap. ex fer. 6 praec.* 2 et 3 lect. *Incip. Epist. B. Iudae Ap. ex Sabb. occurr.* In Emendationibus *Ordo perpetuus* Novi Gavanti elucubratis, in I Tabula, die 6 Maii, in qua iuxta Rubricam specialem Breviarii, hoc anno recitantur lectiones Scripturae occurrentis, ponitur pro lectionibus 1 et 2 Initium Epist. II occurrentis, et pro 3ª Initium Epist. III ex fer. VI seq., quod ab Apparitione S. Michaelis impeditur. Hoc autem factum est, quia Tabula VI *Ordo perpetuus* antiqui Gavanti eiusmodi exemplum, die 9 Maii, suppeditat: qua in die, feria VI, Initium Epistolae III impeditur ab officio translato S. Crucis, ibi reposito.

Hisce haud obstantibus, vertente anno, in Calendario Urbis Initium Epistolae III B. Ioan. Apostoli, quod die 24 Maii a festo *Auxilium Christianorum* impeditur, positum reperimus in sequenti Sabbato (die 25), Epistolae S. Iudae coniunctum. Quare? Profecto, quia *Ordo Perpetuus* novi Gavanti in Tabula XXXV ita se gerit die 12 Iunii, quod

contradicit se gerendi modo, quo usus fuerat in Tabula IV die 9 Maii. Hinc iure infertur anticipandi aut posticipandi libertas, cum ceterum, si Initium recitatur in Sabbato, uno tantum die posticipatur: si vero recitatur in feria IV, duobus diebus anticipatur.

Quod alteram pertinet quaesiti propositi partem reponimus, legem non dari, ex qua prohibeatur anticipatio Initii Epist. II S. Ioannis Ap. in feria III, si in feria IV post Ascensionem impediatur. Exemplum suppeditat Gavantus, qui in Tabula III, die 7 Mai, dictum Initium anticipat, die sequenti impeditum. Non tamen probandum credimus, ut in dicta feria anticipetur etiam Initium Epistolae III; sive quia locum datur anticipationi quando posticipatio fieri nequit, sive quia anticipatio e loco suo moveret Initium pluribus diebus, dum posticipatio facilior est, remitti enim potest in Sabbatum sequens.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Sicilia.* 1. Minus profecto convenire dicendum est, ut *Ave, Maria* ter post Missam recitanda, uti et Antiphona *Salve, Regina*, vulgari sermone dicatur cum populo. Nihilominus Sacerdotes sic se gerentes damnare non audemus, cum preces extra-liturgicae sint, et aliquibus in locis, exteris maxime, id iam consueverit, Episcopali auctoritate sciente et tacente.

2. In Laude *Dio sia benedetto* nomen S. Ioseph, absque speciali indulto, addi non debet; quia est Laus, quam veluti pro sua accepit Ecclesia, et Leo Pp. XIII Indulgentia uberiori auxit, prae suis Praedecessoribus, pro iis, qui eam post Missam aut benedictionem cum Venerabili dicunt.

Nemo ergo ius habet aliquid illi addendi, sicut nec demendi.

3. In Oratione *En ego, o bone etc.* post verba « quod in ore ponebat » non **suo** dicendum est, sed **Tuo**: quamvis, absolute loquendo, etiam, **suo** dici posset, quia David ea verba de se literaliter asserit. *a)* Quia totus psalmus in sensu Ecclesiae applicatur ad Christum, cuius David figura fuit. *b)* Quia nisi applicentur ad Christum loquentem, vix sensum habet totus contextus Orationis. *c)* Quia in Libello Indulgentiarum « *Raccolta di Orazioni etc.* » **Tuo** habetur non **suo**.

4. Rubrica dicit tantum, hostias extra pyxidem consecrandas locandas *super Corporale ante Calicem* (Tit. II, n. 3). Communiter ita intelligitur, ut a parte Evangelii ante tamen calicem maneant: quod periculo decidendi minus sint obnoxiae.

5. Omnes chorales dicunt bini et bini inter se omnes illas Missae partes, quas Celebrans alterne vel simul dicit cum Ministris. Ita Caeremoniale Episc. de Confessione et *Credo:* atque ita de aliis eiusdem naturae partibus intelligendum communiter auctores docent.

6. Benedictio solemnis cum Sacramento regulariter datur populo quando absolvitur Expositio, non autem infra Expositionem, nisi Episcopo accedenti ad illud visitandum aliter videatur.

II. *Pro Gallia.* Circa doxologiam mutandam in secundis Vesperis festi, eo quod festum sequens propria doxologia gaudens habet commemorationem, incerti sumus, et respondere non possumus adm. Rev. Consulenti. Ni fallimur, sententia, quam primus Solutor defendit (V. an. 1893, pag. 302-306), vera est; sed securi non sumus, ob aliquod incommodum ex ea derivans. Quare Dubium non proponitur S. R. Tribunali? Hic certitudinis acquirendae modus unicus.

III. *Pro Curenna.* Festum VII Dolorum B. M. V. (ex priv. dup II cl.), anno 1902 impeditum ob festum S. Matthaei Ap. in Dom. III Sept., non potest transferri, iuxta peculiarem Rubricam Breviarii, in diem aliquam octavam, quippe quae pro illius repositione constituit impedimentum. Si ergo usque ad Adventum non extet in Calendario Dominica libera, Rubrica servanda est, ut prima die mensis ab officio novem lectionum libera celebretur, nisi aliud habeatur in loco privilegium.

IV. *Pro eod. loco.* Quando aliquod officium perpetuo transferendum venit, reponitur in prima die libera, quin alia officia, vel festa (multo minus) amoveantur a die, qua reposita fuerunt, quicumque sit eorum ritus: secus Calendarium nimis et frequentius perturbaretur. Hinc si propter octavam S. Mariae ad Nives impeditur S. Clara, quae ideo in loco reposita est die 18 Augusti, certe ab hac die ibidem removendus non erat S. Hyacinthus. Illa proinde die prima libera assignanda est post S. Hyacinthum, nullo alio e die sua remoto officio, multoque minus festo. Item, si dies 24 Ianuarii impeditur S. Timotheus ob diem octavam S. Antonii Titularis, Officium S. Timothei impeditum die prima libera assignabitur, quocumque festo vel officio in die sua relicto, etc. etc.

V. *Pro eod. loco.* Anniversarium, si fiat a pia quacumque Communitate pro omnibus Confratribus, licet die mobili, semel in anno, nuncupatur *late* sumptum, et fieri potest in dupl. minori, ac dicitur cum unica oratione, quae magis congruat. Secus non est anniversarium, neque *late* sumptum, et pro eo Missa quotidiana canenda est cum tribus Orationibus etc.

VI. *Pro eod. loco.* Privilegium celebrandi anniversarium late sumptum in dupl. minori datum est in favorem quarumcumque Societatum *piarum*, non societatum *civilium*. Hinc Societates Hortulanorum, Agricolarum, Sa-

gittariorum etc., nisi et ad pietatis finem sint erectae, dicti privilegii non sunt participes. Si autem Societates civiles, puta Societas Hortulanorum in S. festo Antonii Abbatis, Agricolarum in festo S. Isidori Agricolae, Musicorum in festo S. Caeciliae,, petunt Missam de proprio S. Patrono, nil impedit quominus dicatur; eritque de festo occurrente. Si vero tali die aliud festum in loco recolatur, sequendae sunt consuetae pro votivis Missis normae cuiusmodi hae sunt: ut dicantur vel non, pro qualitate ritus, illas vel permittentis vel respuentis.

VII. *Pro eod. loco.* Familiae christianae, singulae, non constituunt piam Societatem vel Sodalitatem, de qua in Decreto 3753 ad V; ergo privilegium extendi ad illas non potest. Si eae autem solent *una vice* infra annum eam Missam petere *circa* diem obitus, si cantetur, facile potest seligi dies III, VII, XXX, aut anniversaria. Si autem de lecta agitur pro paupere, Missa quae lecta permittitur, nonnisi de die obitus est vel pro die obitus, et de aliis, etsi privilegiatis, diebus nunquam permittitur.

VIII. *Pro eod. loco.* Reliquia Sancti osculanda fidelibus post Missam in paramentis nigris, nimis a Rubricis est absonum: nullius fere est incommodi, seu pro Celebrante seu pro fidelibus, aliquantulum expectare, ut nigro colore deposito, et congruo induto, devotioni fidelium fieri possit satis.

IX. *Pro Crema.* Hymni Deiparae Immaculatae a Lourdes dictae, non sunt historici, seu uti tales considerari nequeunt. Exceptio fieri posset, uti optime advertit adm. Rev. Consulens, pro ultimo, hoc est « Omnis expertem »; at cum sit unicus, uti est suo loco relinquitur, lex enim omnes respicit, ut fieri mutatio queat. Ergo ii omnes, uti historici non sunt habendi.

X. *Pro Belgio.* Privilegium Missae de requie in Oratorio privato, hoc est domestico, favet Presbytero eius-

dem Oratorii privilegio gaudenti, quando in domo, in qua Oratorium est, aliquis decedit. Favet etiam Presbyteris, qui celebrare possunt in Oratoriis tum publicis **tum privatis**, ergo a fortiori in semipublicis, quae sunt quid magis quam privata. Sequitur, extante cadavere in aliqua domo, in qua erectum est Oratorium semipublicum, Presbyteros in eo celebrantes posse dicere Missam de requie pro defuncto, sub notis tamen clausulis et conditionibus. An pluribus diebus, quo cadaver insepultum ibi manet, quaestio est; et cum lex dubia non obliget, id fieri posse credimus, donec Auctoritas rem declaret.

XI. *Pro Lingone.* Quando aliquod Decretum particulare disponit aliquid contra Decretum aliquod Generale, illis quibus non peculiariter favet, huic standum est, et illud relinquendum; explicari enim potest oppositio per aliquam specialem rationem, puta in casu quia Patronus Dioecesis sit idem ac Patronus loci, vel quia hic ultimus locum non habeat. Decreta namque particularia saepe compendiiunt, et peculiaria dispositionis alicuius momenta non semper inseruntur.

XII. *Pro eod. loco.* Ratio haesitantis sententiae Ephemeridum circa Vigiliam Epiphaniae, in qua liberam diximus Missam votivam SS. Iesu Cordis, est haec, quia scilicet videtur pertinere ad Dominum, ut reincidat pro casu de quo agitur, in festum Domini, quamvis Vigilia non sit festum.

XIII. *Pro eod. loco.* Circa sententiam Ephemeridum quod attinet festum Imm. a Lourdes dictae, et officium S. Io: Chrysostomi, non num. IV Decreti 3811 applicandus, sed n. III, ubi agitur de comparatione inter festum et officium. Ratio patet ex ipsomet Decreto.

XIV. *Pro eod. loco.* Cum in casu Missa Conventualis de feria sit dispensata, sive quoad horam, sive quoad cantum, sive quoad assistentiam Canonicorum, preces post il-

lam praeceptivae non sunt. At eiusmodi Missam esse, nihilominus, Conventualem animadvertunt omnes, cum secus dici non potest nisi semiduplici occurrente. Plures insuper cereos posset ferre, et fortasse fert, et certe Missae Conventualis rationem habet. Hinc dicendum, nec commemorationem de feria agendam in Missa Conventuali de festo, et in Conventuali de feria non esse praeceptivas preces post illam.

XV. *Pro Ecclesia S. Aloisii in America.* Posito, quod dies III, VII, XXX et anniversaria computari possint a die obitus vel a die sepulturae, quod aliunde constat e Gen. Decreto **3753** ad IV, non videmus quare idem fieri illicitum sit, quia cadaver aliquot post diebus obitus sepulturae mandatur: num id legislatorem latere poterat? Lex est in favorem defunctorum, qui ita facilius diem pro suffragiis agendis habere possunt.

XVI. *Pro Seminario Anneciensi.* Missa quae post acceptum nuntium obitus cantari potest in defuncti suffragium in duplicibus II classis, impeditur etiam illis diebus qui dicta duplicia II classis excludunt. Ita de omnibus aliis privilegiatis diebus, uno tantum excepto die obitus; non ergo ratio est, ut hic excipiatur: ita credimus.

XVIII. *Pro Civitate Segoriensi.* Missam conventualem de vigilia Assumptionis die 14 Augusti, in qua fit de aliquo festo Deiparae, arbitramur esse omittendam (*Vid. Solutionem Dubii II hoc in numero*).

XVII. *Pro eodem loco.* S. Barnabas, si transferendus quoad officium, legem communem sequitur, et nulla praecedentia gaudet: si quod Decretum aliud statuere videbatur, iam non est amplius.

XIX. *Pro Gallia.* Si prima antiphona III Nocturni convenit cum Versu eiusdem Nocturni, certe dici nequit in casu mutationis. Decretum 4042 ad V dat legem generalem: quae, si in uno particulari casu, uti pro pluribus

Martyribus, nequeat applicari, sumatur altera proximior, nempe secunda eiusdem Nocturni, quae diversa est.

PECULIARES QUAESTIONES E BRASILIA

I.

Rex, vel Regina, vel uterque, vel persona eos repraesentans, eorumque nobilis Comitatus ius ne habent Sedis in presbyterio? Quid de Baldachino pro Rege et Regina?

Resp. 1. Si de sede in presbyterio pro Rege vel Regina aliisque supernominatis iudicandum esset eodem modo ac de thurificatione, responsum omnino certum atque affirmativum dari posset. Namque Caeremoniale Episcoporum, thurificationem quod spectat, magna cum reverentia disponit de Magistratibus, de Principibus, et a fortiori de Rege et Imperatore, quos ultimos ante ipsum Episcopum thurificari praescribit *(Lib. I, Cap. XXXII, n. 30)*. Verba autem faciens de Regina vult ut ei thus detur in loco ubi deretur eius viro, si adesset *(Loc. cit. n. 31)*.

At, quidquid de thurificatione explicite praefatus codex disponat, generalem quoque fert legem pro omnibus viris laicis, quod sedem attinet in presbyterio, nullamque exceptionem ponit. Ad literam referre iuvat textum codicis: « Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis, plus minusve, pro cuiusvis dignitate et gradu ornatae debent extra chorum et presbyterium collocari, iuxta Sacrorum Canonum praescriptum,

laudabilisque antiquae disciplinae documenta, iam inde ab exordiis christianae Religionis introductae ac longo tempore servatae (*Lib. I, Cap. XIII. n. 13*). » Uti ex relatis verbis patet, de Rege ac Regina silet Caeremoniale; et cum, quemadmodum de thurificatione, loqui de hoc aliqua explicite potuisset, altum silentium ex opposito servavit. Quid ergo? In *Principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis*, Rex ne saltem continetur? Non videtur, sicut certe non continetur in illis personis dignioribus, quas pro thurificatione nominat, quia de Rege postea et Imperatore explicite et separatim agit.

Si ex lege Caeremonialis ad legem Decretorum gradum faciamus, ne ullum quidem reperimus, quod Regibus sedere in presbyterio prohibeat. Prohibent profecto, et Decreta plura, Domino loci, Magistratui, personisque aliis in aliqua civili dignitate constitutis; sed de Regibus explicite ne verbum quidem. Quid silentium eiusmodi significat? Lege prohibitionis arguere licet, qua civiles potestates vinciuntur, Reges non devinciri. Ex Decreto in *Aquilana* num. **802** (1394) S. R. C. damnat gesta per Episcopum, *qui Praesidi Regiae Audientiae locum in presbyrio bis vel ter permisit;* sed aliud est Praeses Regiae Audientiae, aliud est Rex. Contra Reges in presbyterio sedentes lex silet. Ad alia proinde argumenta transeundum.

Catalanus citatum Caeremonialis locum commentans (*n. XVIII*) certam ponit exceptionem pro Rege faciendam, adeo ut ei sedem habere in presbyterio liceat, non vero aliis inferioribus quacumque dignitate fulgeant, citatque ad rem Pignatelli, quem opportune consuluimus. Refert hic Consultationem S. Congnis Episc. et Regul. die 8 Oct. 1851, quam Emus Cardinalis Senonensis detulit ad Summum Pontificem Gregorium XIII, de quo sequentia scripsit: « Cupit enim Sanctitas Sua, ut omnia decenter et cum ordine in Ecclesia Dei fiant, et nihil imprimis existimavit

praescribendum Regi Catholico in sede sua collocanda in ea Ecclesia (*Metropolitana Mediolanensi*), idque religioni et pietati Maiestatis Suae Catholicae, **sive intra sive extra chorum** presbyterorum, relinquendum (*Consult. VIII, Tom. 1. n. 36*). » Quam tamen sedem negat omnino, et extra presbyterium locari iubet pro Mediolanensi Gubernatore.

Magis autem explicite de re eadem agit idem Auctor in Tom. III, Consult. III, ubi ex professo agit quaestionem « An Magistratui saeculari competat locus in presbyterio ». Multis enim argumentis vix discutiendis demostrat negativum responsum, post quod tamen ad Reges deveniens exceptionem facit. Ait itaque: « Et licet quibusdam viris magnatibus permittatur quod sedeant in presbyterio, id tamen vel ex eo procedit quod sunt Reges vel Principes non recognoscentes Superiorem, quibus ius non resistit ». Datur ergo exceptio pro Rege, non proinde inter alios nobiles computando, sed omnino superiore. Momenta autem, quibus eam sententiam munit, optima sunt; hinc prosequitur: « cum possent ministrare Episcopo, exercendo officium simplicis Subdiaconi, licet non habent sacrum Ordinem, et ideo non reputantur in hac materia mere laici, nec turbant hierarchicum Ecclesiae ordinem». Citatque ad rem Chassaneum (*Catal. Glor. mund. p. 5. consid. 24, n. 105*) et Lotterium (*d. quaest. 13, n. 28 et seq. Lib. I*). Addit insuper: « Infra presbyterium ponitur sedes regia, quia Rex ratione unctionis, de qua in *Cap. 1. de Sacr. unct.*, ponitur inter personas sacras, ut advertunt Castaldus *de Imp. q. 18, n. 6.* Alber. *de Rub. super I*, Glossa *num. 3, de nov. Codic. comp. etc.* ». Ex quibus concludere licet, Regi competere sedem in presbyterio.

Resp. 2. Quid quod spectat Reginam? Reponi posset negative, quae enim Regi favent, Reginae suffragari nequeunt. a) Constat ex Iure (*Cap. 1 de cit. et honest. Cle-*

ric.): « Quando sacra mysteria celebrantur, stare vel sedere inter clericos (laici) non praesumant (*Glossa*) ». Et alibi (*Cap. 1 de cohabit. Cleric. etc.*) dicitur: « Prohibendum est, ut nulla foemina ad altare praesumat accedere... aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare vel sedere. » Idque, notat praelaudatus Pignatelli, valet *etiamsi mulier sit princeps*. Ratio est, quia dignitas nullam dat mulieri praeminentiam, quae ad ordinem ecclesiasticum pertineat, neque aptam reddit ministerio altaris, extrahens eam e laicali statu: consequenter nec efficit ut possit admitti intra locum, in quem convenit Clerus ad celebranda divina officia, cum sit aliquo modo communicare cum ipso in ordine hierachico. Quinimo prosequitur auctor: « Hoc observandum est etiam quoad Reginam ex eadem ratione, quod nimirum non debeat communicare cum ministris altaris in loco destinato pro ministerio eiusdem altaris. Et quia sublimitas dignitatis ipsius non concernit aliquo modo ordinem hierarchicum Ecclesiae, ideoque non dat, unde ministris altaris associari possit in loco (*Tom. III, Cons. III, n. 6*). » Ergo concludentum videtur, Reginae locum non competere in presbyterio.

Opponi posset, Caeremoniale Episcóporum (*Lib. I, Cap. 22, n. 31*) praescribere, ut Regina eodem loco thurificetur, ubi vir eius thurificandus esset. En eius verba: « Si adesset... Regina..., ipsi thus dari convenit in loco, ubi daretur eius viro, si adesset ». Porro dictum est Regi competere ius in presbyterio; quid ni ergo et Reginae? At reponi posset, e praefatis verbis erui nil posse; quia agit de thurificatione distincta Reginae tribuenda, si adesset, sicut tribuitur Regi; et locus, de quo Codex, potius thurificantem respicere videtur, quam thurificandum, ut thurificatio Reginae a communi thurificatione aliis facienda omnino distinguatur.

Neque interest, Reginam sacra esse unctione et ipsam

perunctam iuxta Pontificale Romanum, sicut Regem; etenim obstat sexus, qui Regi favet. Consequenter Regi soli praefatum ius denegandum non est; sed fortasse Reginae denegundum (1).

Resp. 3. Plura S. R. Congreg.nis Decreta prohibent Baldachinum in Ecclesiis pro personis laicis, uti num. **1792** (3156), **1931** (3212), **1832** (3213). Verum haec Decreta respiciunt nobiles viros, Magistratus etc. non tamen personas regales, seu Regem et Reginam. De Herdt haec scribit ad rem : « Baldachinum in Ecclesiis, Oratoriis, locisque sacris pro lacis dominis, principibus, primatibus et Magistratu non est erigendum; et si erectum sit, amovendum iuxta Generalia S. R. Cong.nis Decreta. Haec Decreta

(1) Haec quidem de iure, iisque conformis est praxis, quam sequebatur olim Rex Urbis Neapolitanae. Quum enim intererat solemniori alicui functioni in Ecclesia Urbis Barensis, S. Nicolao Episcopo dicata, sedebat in sibi competenti subsellio Chori, quod inter Capituli Dignitates recenseretur. Cum vero solemniori forma publica ad Cathedralem Neapolitanam accedebat, thronus Regi parabatur in Presbyterio in secundo chori ambitu, angustus enim primus erat, et quidem cum Baldachino, ibique functioni assistebat. Immo ipsamet Regina eodem in loco sedebat in throno suo, prouti Ei consuetudo antiquior favebat. Antiqua etiam notanda praxis Urbis Romae, vi cuius Oratores (*Ambasciadori*) Regum, vel Nationum in choro pariter locum habent: et si Emi Purpurati Patres adsunt, uti in Vaticana Basilica, sedent post Emum Urbis Vicarium. Quod si aliquis ex principibus interesset regio sanguine ortus, inter duos ultimos sederet Purpuratos Patres, ad Diaconalem Ordinem pertinentes. In Archibasilica Lateranensi, cum Liturgica acta fuerunt parentalia, seu pro defuncto **Sadi-Carnot**, seu pro **Felice Faure**, Reipublicae Gallicae Praesidibus, Orator exterus in choro sedit inter Canonicos. In Hispania tamen sedit Regina, et quidem agitur de reali Cappella, in throno extra presbyterium collocato. Certa autem scientia nobis constat, etiam in Brasilia ipsummet Imperatorem, haud intra, sed extra presbyterium habuisse thronum suum, e quo aliquando alicui ex functionibus solemnioribus assistebat.

Qua ex diversa locorum consuetudine, censura fortasse notari non posset qui concluderet, non solum Regem, sed et Reginam habere locum posse intra presbyterium, consuetudine favente, reliquis tamen e comitatu semper extra illud manentibus.

praecipue diriguntur ad Episcopos Regni Neapolis, quia, ut notat Catalanus, enormis ille abusus, in aliis locis vix reperitur: in quibus **soli viri principes, qui non recognoscunt Superiorem,** ea praerogativa uti solent, ob supremam suam maiestatem (*Prax. Pont. Cap. XIV, n. 117, lit. 6*) ». Concludendum ergo videtur, quod baldachinum attinet, id quod conclusimus de loco in presbyterio, ut videlicet nulli illud honoris signum competat laico, praeterquam Regi et ad summum Reginae.

Opponi fortasse posset contra sedem in presbyterio pro Rege Pontificale Romanum, quod agens de loco Regis, uti et Reginae, non solum silet de presbyterio, sed ita se exprimit, ut pro loco extra presbyterium intelligi omnino debeat. Revera Pontificale Romanum ex professo et fuse agit **De Benedictione et Coronatione Regis,** nec non **De Benedictione et Coronatione Reginae** (*Pars prima*); verum de loco alterutrius vel utriusque penitus silet. Imo si ex eius loquendi ratione argui aliquid merito potest, id est profecto contra hoc privilegium. Textualia verba referre iuvet: « Paratur **in Ecclesia in loco competenti** thalamus sive suggestum pro Rege... thalamus ipse sit ornatus etc. Et si regina etiam simul est coronanda, paratur pro ea alius thalamus, non longe a regio . . . . . et ita sunt situandi thalami, ut **inde possint videri altare et Pontifex** celebrans. Parantur etiam ante altare hinc et inde sedes, pro numero Episcoporum coronationi interessentium ». Post sacram receptam unctionem ac regales vestes indutas codex notat: « Rex..... procedit cum suis Praelatis, Baronibus et aliis ad..... thalamum, **in Ecclesia sibi praeparatum**, et ibi.... audit Missam ». Ex hoc loquendi modo inferri posse videtur, Regi ac Reginae non competere de iure locum in presbyterio, sed in Ecclesia. Namque codices liturgici inter Ecclesiam et presbyterium, satis, cum volunt, distinguunt. In casu autem

nusquam legitur, neque in Rubricis relatam sequentibus, locus presbyterii, sed semper *Ecclesia*, pro qua intelligere presbyterium quid nimis esset. Etenim presbyterium est pars potior ecclesiae, et quando de eo codices verba facere intendunt, per proprium vocabulum exprimunt, non per commune. Insuper addit Rubrica, Regis thalamum parari in Ecclesia *in loco competenti*: per quam locutionem non *presbyterium* significatur, sed alia pars, quae speciali nomine non appellatur, secus *presbyterium* explicite nominasset Rubrica. Insuper ait ita situandos thalamos, ut ex iis altare et Celebrans videri possint: quae verba prorsus forent inutilia, si thalami parati essent in presbyterio, uti facile consideranti patebit. Quarto denique hinc inde ante altare, iuxta Pontificale, debent esse sedes Episcoporum coronationi assistentium, et Praelati ad Regem pertinentes ac Barones aliique deducere debent Regem ad thalamum in Ecclesia praeparatum: quod significat, Comitatum regium circumcirciter ipsum manere pro audienda Missa. Porro, si thalami locus esset presbyterium, nonne personae omnes non regales esse quoque deberent in eodem presbyterio? Quid vero tunc presbyterium fieret, quamvis excelsior Ecclesiae locus? Inordinatio mirum in modum ingravesceret, si de Regina ageretur, quippe quam suae Matronae comitari debent sedentem in solio suo: « Episcopi parati.... eam (*Reginam*) associant usque ad suum thalamum, ubi sedet in solio suo, matronis eius ipsam comitantibus ». Quid proinde presbyterium evaderet, si thalamus, in eoque solium Regis, et a fortiori Reginae, situs esset in eodem presbyterio Ecclesiae? Verum eiusmodi ratio e Pontificali deductam contra sedem Regis in presbyterio nil probat. Aliud enim est agere de Rege benedicto et coronato, aliud est agere de Rege benedicendo et coronando. Pontificale in casu de hoc, non de illo agit: ut consequenter sedes *in Ecclesia*, *loco* tamen *competenti*,

parari debeat, non vero in presbyterio. Quando autem Rex benedictus liturgice est benedictus et coronatus, uti in aliis functionibus, post illam, comprobari potest, tunc vere, cum veluti persona sacra ab Ecclesia consideretur, tunc diximus locum ei in presbyterio competere.

Stat proinde quod probatum credimus, Regi locum in presbyterio competere.

Resp. 4. Si Regi soli competit in presbyterio thronus, non videmus, qua ratione alii competere ille possit, etsi eumdem repraesentet. Certe thronus, unius est Regis, ut in illo sedere nulli alii liceat; ad hoc ergo quod attinet repraesentari Rex nequit, ut scilicet in throno alius pro illo sedeat. Quamvis igitur repraesentanti locus competere potest in presbyterio, illi nunquam thronus competere potest. Etsi itaque in humanis repraesentari personae valeant, in casu, cum de sedendo in throno agatur atque in loco, ubi Rex sedet uti persona sacra, repraesentari nequit hoc sensu, ut locum et thronum illius teneat. Non enim alii tribuere valet, aut Regis qualitatem, aut illud sacri quod in eo est. Si ergo Rex per alium repraesentari voluerit, huic distinctissimus competet locus, esto in Presbyterio, sed non in throno

Resp. 5. Quicumque esse possit regius Comitatus, nulli licet intra presbyterii secta stare tempore divinorum Officiorum. Constat ex supra dictis circa personas nobiles, magnosque principes: ut a fortiori lex afficiat personas alias in servitium Regium, vel ad eius honorem.

Resp. 6. Lex tam Regi quam Reginae tribuit sedem, thronum, solium; et quamvis baldachinum sit aliquid distinctum a solio, nihilominus hoc perficit. Adeo ut quando thronum nominamus, nisi explicite baldachinum excludatur, in eo manet inclusum: ut consequenter, cum lex taceat, solium integrum intelligendum est, seu perfectum, hoc est una cum baldachino. Regi ergo et Reginae hoc

baldachinum competit: illi tamen intra, huic, uti saltem videtur, extra presbyterium.

II.

Locus Presbyteri Assistentis Episcopo esse ne debet chorus, an alius? Et quibus in functionibus?

Resp. 1 Presbyter assistens est dignior omnibus, qui Episcopo inserviunt. Caeremoniale dicit: « Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt et serviunt, dignior est Presbyter assistens *(Lib. 1, Cap. 7, n. 1).* » Digni proinde sunt Canonici, et sunt in choro parati: digniores sunt dignitates, et pariter assistunt in choro parati: digniores quoque Ministri altaris, Subdiaconus et Diaconus Missae, ac alii duo Diaconi assistentes, et sunt cum Episcopo: super omnes eminet Presbyter assistens, cui proinde spectat *sedere*, non in choro, neque cum aliis ministris quasi ipsis esset inferior, sed prope Episcopum, ante ipsius faciem a dextris vel a sinistris altaris, prout loci situs patitur: regulariter **a dextris** (*Loc. cit. n. 2.*). Item apud ipsum solium sedere debet, vel uti lex se exprimit, ante infimum gradum solii Episcopalis (*Loc. cit.*): aut, sicuti Decreta explicant, **in plano solii** (*Hispalen. n.* **14** *(21) ad* **7**, et *aliud n.* **560** *(898) in Castellaneten*). Hinc alio in loco sedere nequit, iuxta Decretum in *Hydruntina* num. 4358. Ergo neque sedere potest in choro cum aliis Dignitatibus aut Canonicis, utpote iisdem aliisque ministris dignior, ut alius quicumque locus ei assignetur, sit contra legem, et dignitati muneris, quo fungitur, nequaquam respondens.

Resp. 2. Caeremoniale Episcoporum agit peculiariter de Presbytero Assistente in Pontificalibus Missarum et Vesperarum; at nulla lex vetat eumdem in dicto officio posse ministrare Episcopo in aliis functionibus solemnioribus, quas pontificaliter agit. Decretum cetero in *Bugellen.* de-

clarat, primam Dignitatem Presbyteri Assistentis munere fungi **quando Episcopus benedicit candelas, cineres et palmas** (22 Sept. 1827, n. **2659** (4633) ad 2). Quinimo alterum in *Casalen.* declarat implicite Presbyterum Assistentem in quavis functione pontificaliter celebrata, adhiberi posse. Nam S. R. C. exquisita: « An prima Dignitas, seu dignior ex Canonicis teneatur Assistentiam praestare Episcopo in omnibus pontificalibus functionibus » respondit: « Affirmative (15 Sept. 1753, n. **2425** (4235) ad 2)». Ergo.

III.

Vicarius, si Episcopali, vel etiam Archiepiscopali dignitate sit praeditus, sitque Coadiutor, vel Auxiliaris, vel Suffraganeus, praecedentia ne in choro gaudet super Canonicis et Dignitatibus paratis ?

Resp. Citra controversiam, Praesulum iura semper eadem permanere, pluries S. R. C. declaravit, uti in *Lodien.* n. **1046** (1859) et alibi; ac propterea Episcopum. a fortiori Archiepiscopum, **ceteris omnibus Dignitatibus Episcopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse.**

Nihilo tamen minus ordo quoque servandus in sacris functionibus, iuxta officium quo quisque fungitur et paramenta quibus induitur, ne ipse ordo turbetur. Hinc Decretum in *Ragusina* sequentes exhibet normas a Canonicis et Dignitatibus, in relatione cum Episcopis, servandas: « S. R. C. Dignitatibus et Canonicis praefatis praesenti Decreto significandum duxit, quod, Episcopis etiam exteris pluviali et Mitra redimitis, ipsi, tametsi sacris *(paramentis)* induti, digniorem locum deferre tenentur: nec diversam disciplinam cum iisdem Episcopis sacris non redimitis ipsimet choralibus amicti indumentis (*non ergo parati*) servare debent (**1109**, 1969). » Ubi vides, primas habere Episcopos proprio habitu chorali indutos, qui est Mantelletum supra Rochetum, si Canonici et ipsi proprio habitu

chorali sint induti, qui ad summum esse potest Cappa supra Rocchetum: item primas quoque Episcopos habere pluviali et Mitra paratos, si et ipsi parati sint, pro eorum more, Canonici, uti et Dignitates. At de praecedentia Episcoporum, si chorali eorum habitu sint induti, supra Canonicos paratos, Decretum silet. Quare? Quia solemnius quod hi exercent officium, solemnior quem induunt habitus, proindeque maior, quam dicunt, proximitas ad Episcopum Pontificalia agentem, comparative ad Vicarium licet Archiepiscopali honore praeditum, qui simplici chorali veste induitur, haec omnia, inquimus, digniores, quod functionem attinet, reddunt ut praecedentia gaudeant.

Verum inquirere nunc liceat, utrum, Canonicis extantibus in choro paratis, conveniat nec ne Episcopum manere chorali habitu indutum. Cui petitioni respondere possumus et respondemus: Negative. a) Ex dictis momentis Episcopus, a fortiori Archiepiscopus, ultimum post Canonicos paratos deberet in choro tenere locum quod nequaquam decet, ut de hac hypothesi Decretum in *Ragusina* siluerit. Admirere prudentiam Sacri Tribunalis, silentis hypothesim, quae minus decet, sive dignitatem personae, sive functionis solemnitatem. b) Ratio subiectionis, quae Vicarium Episcopum vel Archiepiscopum ligat ergo Superiorem suum, satis est praepotens, ut probet, illum totius solemnitatis functionis esse debere participem, habitumque induere solemniorem sibi proprium, nempe Pluviale ac Mitram. c) Nec satis est ut de convenientia dicamus, urgere namque obligationem credimus. Sane Decretum in *Mediolanen.* n. **2707** (4709) ad 6 de Episcopo Canonico verba faciens quaerebat: « An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare, aliaque praestare, quae caeteri eiusdem Ordinis Canonici de more eidem praestant? » Responsum est autem: « Tenetur sedere in choro cum pluviali ». Equidem de Canonico agitur; sed ratio responsi non Canonici officio

magis innititur, quam Dignitati qua fulget. Etenim qua Canonicus tenetur ad chorum, habitumque relativum choralem deferre ; sed qua Episcopus, non decet ut , paratis aliis, ordinario in habitu ipse indutus remaneat. Iam nunc eiusmodi ratio dignitatem magis quam officium spectans quemcumque Episcopum afficit: ut etiam in casu Vicarius Episcopus , pro suo decore tuendo , pluviale induere teneatur.

Quod Mitram vero pertinet decretum quidem est, ea redimiri non posse, nisi *accedente consensu Ordinarii*, uti in *Asculana* n. **2283** (3976) ad 4 videre est. At non possumus, quin iterum S. R. Tribunalis prudentiam commendemus , quod non dicit in casu requiri Ordinarii licentiam, sed tantummodo consensum. Hoc significat canonicum Episcopum in suum Ordinarium subiectionem debere ostendere, sed ipsummet Ordinarium in iis, quae Episcopalis Dignitatis decorem tangunt, comem, facilem, liberalem esse debere : adeo ut non potestatem , severe loquendo, facere in casu debeat Ordinarius , sed simpliciter annuere, consentire, iusto Episcopi Canonici desiderio obsequi. Quae profecto, si pro eo vim habent, nemo non videt quanto magis vim assumant pro Vicario Episcopo vel Archiepiscopo, qui Coadiutor sit , vel Auxiliaris, vel Suffraganeus, cuius est ipsummet Ordinarium repraesentare, vicesque eius agere. Conveniendum igitur est simul, ut Vicarius, in casu, pluviali simul et Mitra paratus in choro semper assistat quoties Ordinarius Pontificalia Missarum aut Vesperarum celebret. Id enim et Ordinarii pariter et Episcopi dignitatis honori apprime vertet, in solemnioribus functionibus, et omnia secundum ordinem benevertent. Quod autem de Vicario Episcopo diximus, facile extendendum, iisdemque propemodum de causis ad alios quoscumque Episcopos exteros, in casu simili, nullo negotio intelligitur.

IV.

Iure ne gaudet Vicarius Episcopus vel Archiepiscopus suffraganeus celebrandi in solemnioribus festis Pontificalia, Metropolitano impedito, contra Dignitates Capituli, et quibuscumque in casibus ?

Resp. 1. **Suffraganei** Episcopi vocabulum sub triplici accipi significatione potest: vel illum significat, qui Metropolitano subiicitur, vel qui alterius Dioecesim administrat, vel denique, iuxta praesentem disciplinam, qui exercet ea quae ad Ordinem tantum pertinet in aliqua Dioecesi, in qua aut Ordinarius non residet, aut si resideat, ob aetatem, vel invaletudinem, vel etiam Dioecesis vastitatem, nequit aliqua saltem sui Ordinis munia obire (*V. de Herdt Prax. Pontif. Tom. III, n. 345*). Duabus primis significationibus praetermissis, quae ad rem non faciunt, Suffraganeum sub hac ultima significatione accipimus, qui in casu nostro comprobari solum potest.

Dicendum itaque imprimis est, utpote in eminentiori gradu constitutum Episcopum suffraganeum, qui et Auxiliaris nuncupatur, Dioecesano absente, ab omnibus Canonicis Dignitatibusque vel maximo honore habendum, quamvis *cum moderamine*, animadvertit praelaudatus De Herdt, non enim Dioecesanus est. Hinc, quemadmodum alibi exposuimus, praecedentia gaudet in choro super omnes, sive Canonicos, sive Dignitates, sive Episcopos sive Archiepiscopos extraneos, quamvis aliquis ex istis praelatura posset esse antiquior. Praesente tamen Dioecesano, cui honores omnes competunt et praeeminentiae, Suffraganeus, etsi Archiepiscopus, veluti stella minor obumbratur a sole, et sicut Episcopus, nec plus nec minus, se geret.

His praenotatis, reponimus Episcopum vel Archiepiscopum Suffraganeum, haud omnibus profecto iuribus gau-

dere, quibus Dioecesanus. Hic enim vere Ordinarius est, non autem Suffraganeus; qui in favorem seu suffragium illi datur, ut ei auxilium ferat in iis quae agere quavis de causa nequit. Hinc docet Barbosa (*Coll. Doct. in Conc. Trident. Sess. VI, Cap. V*), nonnisi de expresso consensu et licentia Dioecesani potest Pontificalia exercere in Dioecesi et civitate Episcopali (*Apud* Zitelli, *Apparat. Iur. ecclesiast. Art. III*). Qui etiam, uti videbimus, tota non gaudet libertate quaevis munia illi concredendi. Quoties nihilominus Suffraganeus a suo Dioecesano requiritur, tenetur Pontificalia aliasque functiones persolvere (*S. Congr. Episc. in Fulginaten. 28 Maii, 1628*); eique non alteri tenetur Dioecesanus functiones committere (*Ead. S. Congr. Episc. Firmana 25 Sept. 1623*). Cum nihilominus Suffraganeus functiones pontificales nomine Ordinarii exercet, Canonici et Dignitates tenentur illi assistere et debita obsequia praestare, licet cum aliqua limitatione, ut supra innuimus. Quaesita enim S. R. C. num Dignitates et Canonici tenerentur assistere Episcopo suffraganeo ab Archiepiscopo suo deputato ad reconciliandam Ecclesiam, respondit: « Teneri praedictos Canonicos et Dignitates Episcopo suffraganeo assistere quoties praedictas vel similes functiones episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet (*Bracharen.* n. **159** (234). » Verum paramenta Canonici et Dignitates non tenentur sumere, sed in habitu chorali assistere debent (*Bracharen.* n. **236** (354). Quod quidem intelligendum de iis, qui in choro assistunt, haud vero ad altare, quod cetera nec innuendum. Ratio est, quia nec thronus ei competit, uti plura Decreta edicunt, imo neque Dioecesanus illius honorem tribuere potest (*Decr. Gen.* **4023**). Imo et ad Pontificalem Missam contentus erit Diacono et Subdiacono, non enim ei competunt Diaconi Assistentes, quamvis ius habeat ad Presbyterum assistentem: quibus officiis fungi debent Dignitates et Canonici, uti ex super

allato aliisque Decretis indubie constat. Hinc patet Suffraganei iura aliquas limitationes pati in Dioecesani honorem. Haec praemittere censuimus, ut innotescat, nihil detrahi, in casu, Episcopali aut Archiepiscopali Dignitati, imo quae ei non competunt, a natura muneris, quod exercet, Suffraganei, vel Auxiliaris vel Coadiutoris, liquido profluere.

Nunc ad Dubium propositum recto devenientes, primo statuendum est: « Functiones, quas in Ecclesia Cathedrali faceret Episcopus, si praesens esset, quaeque ad ipsum pertinent, Episcopo impedito, absente vel defuncto, ad Dignitates et Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere successive et non alternatim: id est, prima Dignitas, cuiuscumque sit nominis, Sacrum celebret vel Officium agat, quod Episcopus praesens egisset, et ea impedita vel absente, succedat secunda Dignitas; et secunda impedita, tertia etc. etc. (*Decr. Gen.* **Functionum Episcopalium** *num. 3865 I, 1).* » Haec certa sunt et discussioni non subiacent: ita ut si, quamvis Vicarius Generalis, alius quicumque Episcopus vel Archiepiscopus illas ageret, iura Dignitatum et Canonicorum laederet.

Namque dignitas Vicarii, qua talis, nihil latae legi officit; eo quod supra relatum Decretum hunc casum explicite contemplatur, dicens: « Functiones vero praefatas ad Vicarium Generalem vel Capitularem, qua talem, nullimode pertinere (*n. 8,*): » nisi, quod bene notandum, huiusmodi functiones sibi pro sua vice, cum de gremio esse posset, competerent *(Ibid)*. Quod vero spectat Dignitatem Suffraganei Episcopi habetur Decretum in *Lubecen.* quod integrum referre prosit: «Episcopus Lubecen. exposuit, hactenus, eo absente vel impedito, functiones, quas ipse in Cathedrali celebrare mos est, Episcopo *Petinen.* quo idem utitur uti Vicario in spiritualibus, delegare consuevisse, quandoque tamen reclamantibus Dignitatibus eius-

dem Ecclesiae, qui praetendunt, ad eos huiusmodi functiones in casu spectare; petiitque a S. R. C. declarari potuisse ac posse, Ordinarium cui libuerit digniori tamen Dignitatibus ipsis, Ecclesiae functiones Episcopales commendare. » En autem responsio: « Id quidem intelligendum, respondit, de muniis pontificalibus, quae a Dignitatibus et Capitularibus impleri nequeunt; secus de iis, quae a Dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, alteri licet digniori demandare in praeiudicium Dignitatum aliorumque Capitularium non licere (n. **1013** 1802). » Iam vero, uti patet, idem prorsus est casus noster, differentia enim inter Episcopum et Archiepiscopum, ad rem nostram quod pertinet, nil potest influere, ut casum mutet.

Praeterea, aliud Decretum in *Mediolanen.* agit explicite de Episcopo Auxiliari, qui etiam Canonicus erat, et quaerit: « Absente vel nolente Archiepiscopo Pontificalia celebrare, spectat ne ad Capitulum..... vel potius ad Episcopum Auxiliarem, etsi Canonicum, non prima Capituli Dignitate praeditum ? » Sed responsum fuit: « Affirmative, ad primam partem: Negative, ad secundam (n. 3090 (5242) ad 1). » Agitur hic tantum de Auxiliari; sed quod ad rem nostram pertinet, casus substantialiter non mutatur. Sive enim Episcopus in Coadiutorem, sive in Auxiliarem, sive in Suffraganeum detur, semper eorum est functiones aliaque persolvere in adiutorium, in auxilium, in suffragium seu favorem Dioecesani, ut ab hoc dependenter agere debeant, cum non sint proprii iuris, sicut Dioecesanus, Capitulique iura laedere non possint.

Neque obstat Coadiutorem vel Auxiliarem personae, seu Dioecesano dari, dum Suffraganeus, uti mos vigens est, datur loco seu Ecclesiae, etiam cum potestate exercendi Pontificalia in Civitate Episcopali et Dioecesi. a) Quia eiusmodi Episcopi, sive loco dentur sive personae, dantur semper in utilitatem Ecclesiae et in levamen Dioecesani.

Sicut autem Dioecesanus nequit Coadiutoris, Auxiliaris, Suffraganei sui iura laedere, alteri Pontificalia, quae solum potest per se agere, committens, ita neque Coadiutor, Auxiliaris, Suffraganeus potest iura laedere Capituli, quod solum Dioecesano omnimode subiicitur. b) Quia ipsa tributa facultas agendi Pontificalia subest potestati Dioecesani, ut nonnisi dependenter ab illo exercere ea valeat. Sacra Congregatio Concilii decrevit: Episcopum Suffraganeum datum Episcopo cum facultate exercendi Pontificalia Officia in Civitate et Dioecesi, de expressa licentia et pro tempore existentis Episcopi, non posse eadem Pontificalia exercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem, et Capitulo contradicente (*Vilnen.* 22 Febr. 1631). Ergo ex eo, quod Suffraganeus datur Ecclesiae non sequitur, eum eximi a dependentia sui Dioecesani, etiam in Pontificalibus agendis Officiis. Ex dictis quoque profluit quod cl. Ferraris docet: « Coadiutor fere coincidit cum Administratore... et etiam Coadiutor fere coincidit cum Suffraganeo, qui solet deputari pro Ecclesiis Cardinalium...; sicut enim dicitur Coadiutor a coadiuvando, ita Suffraganeus a suffragando (*Ad verb.* Coadiutor 22,23). » Hoc est etiam quod supra animadvertimus de Episcopo Auxiliari: ut sive Coadiutor, sive Administrator, sive Auxiliaris, sive Suffraganeus, quamvis sub aliquo respectu inter se differant, unusquisque tamen Episcopus semper sit Titularis; et utcumque appelletur, a suo Dioecesano plus minusve dependeat. Decreta proinde, quae obstant ne alii Episcopi iura, ut in casu, Capituli laedant, obstant etiam ne laedantur ab Episcopo vel Archiepiscopo, quocumque titulo is appelletur. Igitur ad propositum Dubium, prima parte inspecta, non possumus quin respondeamus: Negative.

Resp. 2. Negative, hoc est: Vicarius, in casu, pontificales functiones exercere potest, impedito Ordinario, aliqui-

bus tantum in casibus. Distinguendae enim sunt functiones, quae spectant ab iis, quae non spectant Capitulum, quod inquam pertinet illas agere. Quae Capitulum spectant ideo agere alius Episcopus nequit praeter Dioecesanum, quia illius iura laederet; quae vero Capitulum non spectant, et potest et debet alius Episcopus agere a Diocesano delegatus, quippe qui nullius iura laedit, cum Capitulum illas persolvere nequeat. Iam nunc functiones, quas per se potest Capitulum exercere, illae sunt quae ad Ordinem Episcopalem non pertinent: quae vero per se exequi potest, sunt illae quae Ordinis tantum sacerdotalis sunt propriae. Et risu profecto digna esset collata Episcopo Coadiutori, Auxiliari, Suffraganeo, ipsique Administratori potestas Pontificalia peragendi in aliqua Civitate aut Dioecesi, si ea exercere numquam posset: quod evidenter comprobaretur, si dictus Episcopus nullas posset pontificales functiones persolvere. Item futilia evaderent omnia Decreta, quae exigunt ut Episcopus in auxilium Ordinario datus omnes teneatur agere sacras functiones quas illi Ordinarius committit. Imo frustraneus quoque propemodum esset ipse Episcopus Ordinario datus in auxilium ad pontificalia peragenda aliaque sacra munia obeunda, uti patet. Ceterum quaerimus: Ordinationes haberi ne debent? Oleorum consecratio est ne de praecepto feria V in Coena Domini? Nulla ne debet in Civitate aut Dioecesi consecrari Ecclesia etc.? Ecquis, Ordinario impedito, agere has functiones poterit debebitque, nisi Episcopus in adiutorium datus? Alium ne Capitulum deputabit Episcopum, Suffraganeo spreto? Sed hoc inauditum foret. Namque, ut supra vidimus, ne ipse quidem Ordinarius, Suffraganeo postposito, alium posset Episcopum ad illas invitare. Poterit ne Capitulum, quod Ordinario non licet? Sed absurda res esset.

Caeterum functiones ad Ordinem Episcopalem perti-

nentes Generale Decretum **Functionum Episcopalium** declarat, determinat et enumerat. Audiatur: « Functiones vero Episcopales, modo ut supra, Dignioribus, absente Episcopo, committendas, eas esse quas Episcopus in Cathedrali, si praesens esset, ipse perageret ac celebraret: ut sunt praeter officia et Missas pontificaliter celebrari solitas iuxta Caeremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. I. et XXXIV, Processio SSmi Sacramenti, sive in huius solemnitate vel Octava, sive in Oratione XL Horarum, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, et fontis (dummodo eadem Dignitas solemnem Missam agat), Ablutio pedum feria V in Coena Domini, absolutio super defunctis in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, et alia huiusmodi, tum ex communi iure, tum ex cuiuslibet Ecclesiae consuetudine (**3865**). » Iam nunc, sive in his, sive in illis functionibus, quae in supradicto Caeremonialis loco enumerantur, ne a longe quidem innuuntur illae, quae Episcopalis Ordinis sunt propriae: quae ceterum insipienter Codex recensuisset, cum a Canonicis fieri nequeant, neque a Dignitatibus, quas Episcopos supponere non potest, si aliquam per accidens excipias. Ergo Capitulum nullo iure gaudet super functionibus altioribus Episcopalem Ordinem spectantibus, quas proinde solus Suffraganus, ex commissione Ordinarii agere potest et debet. Remanet ergo, ut illae tantum sint de iure Capituli, quae Episcopalem Ordinem non requirunt; illae vero, quae hunc requirunt Ordinem, sint extra ius Capituli, et solo competant Ordinario; quo impedito, Episcopo competunt, qui Ordinario in auxilium datus est. Ceterum Decretum, ad *Resp.* III datum in *Petinen.* distinctionem nostram admittens, veritatem, quam exposuimus, apprime declarat.

Notandum est autem, Episcopo in auxilium dato aliquam functionem in Ecclesia peragente, equidem « non teneri Dignitates Canonicos obviam ire Episcopo Suffra-

ganeo ad Ecclesiam venturo usque ad eius cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio Archiepiscopo, sed satis esse (*et ad hoc* tenentur) si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiae; et dignior ei aspersorium porrigat, eumque usque ad altare, vel locum ad celebrandum seu ad alias functiones exercendas destinatum, associent. » Item « Celebrante Episcopo Suffraganeo, non teneri omnes Dignitates et Canonicos sacra paramenta accipere, sicut tenentur celebrante proprio Archiepiscopo; sed praeter ministros supradictos (*Diaconum nempe et Subdiaconum Missae ac Presbyterum Assistentem*), alios omnes assistere debere in habitu ordinario Canonicali. » Similiter: « In reliquis functionibus, quas exercet Episcopus Suffraganeus vel alius Episcopus delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus Clericorum, in Consecrationibus et Reconciliationibus altarium, Ecclesiarum et Coemeteriorum, et in similibus, Dignitates et Canonicos teneri assistere Episcopo Suffraganeo in abitu canonicali, quando legitime non erunt impediti, et ex eis sacra sumere debere paramenta tot Dignitates et Canonici, quot necessarii erunt iuxta Rubricas Pontificalis, et formam actus, quem dictus Episcopus Suffraganeus exercet (1 Sept. 1607, n. **236** (354) *Bracharen.*). »

Rationes eiusmodi dispositionem comprobantes sapientissimae sunt, a) Quia id Dignitas Episcopi vel Archiepiscopi exigit, ipsiusque Ordinarii, ne delegatus, in eoque Delegans dedecus patiatur. b) Ne decor functionum, quae maximi sunt habendae, fiuntque in Ecclesia coram populo, imminuatur. c) Ut ipsum Capitulum superiorem se agnoscat in eo qui ad tales functiones agendas electus est, eique debitum honorem pro summo Sacerdotio, quo est praeditus, tribuat.

NOVA RATIO

PASCHA FACILLIME INVENIENDI

EIUSQUE PER ANNUM DEPENDENTIAS

NEC NON DIEM CUIUSVIS HEBDOMADAE MENSIS

Emendatione Gregoriana posterior (1582).

(*Cont. V. n. 3, pag. 160*)

EXPLICATIO 2ae PARTIS.

Super secundum circulum immediate legere est Litteras Dominicales, super quas numeri quidam inscribuntur repraesentantes saecula: haec, si habent cifram subter se non significativam, seu 0 sunt bissextilia: si habent cifram significativam nempe 1, 2, 3, hoc indicat, ipsa, licet sint bissextilia, talia non fieri. Dictis saeculis et cifris respondet, subter, cyclus Litterarum Dominicalium.

Nota. Si saeculis in hac tabella inscriptis alia adiungere cupis, et sic eam perpetuam reddere, nil aliud requiritur quam ut dividas, per 4, duos numeros initiales cuiuslibet saeculi, quod addere cupis; et iuxta residuum, qui tibi provenerit, ponas illud cum aliis saeculis vel super 1 vel super 2 vel super 3 vel, si nullus fuerit residuus numerus, super 0.

APPLICATIO.

Littera Dominicalis, quam scire desideras, vel pertinet ad annum, qui est ultimus saeculi, vel ad annum quemlibet insequentis saeculi. Si primum, Litteram Dominicalem ultimi anni saeculi habes subter saeculum post 0, vel post 1 aut 2 aut 3. Ex duabus Litteris Dominicalibus, pro Pa-

scha invenienda, neglige primam et accipe secundam. Si secundum, ab illa Littera, quae sequitur alteram iam inventam, decurre singulas Litteras in cellulis inscriptas, enumerando tot unitates, et redeundo ad principium tabellae quotiescumque eam percurreris, usque dum pervenias ad annum, quem quaeris, ubi duas tamen invenies pro una computando. Cum ad annum quaesitum perveneris, siste gradum; et Littera, ubi consistis, erit Dominicalis, quam quaerebas. Si dicta Littera fuerit una, annus erit communis: si fuerit duplex, erit intercalaris seu bissextilis; pro Pascha tamen invenienda accipe semper secundam.

Nota. Cellulae quae continent Litteras Dominicales, sunt 28: adeo ut, si annus quaesitus saeculi numerum praefatum excedat, incipere potes computationem a 29: si excedat numerum 56, incipere potes a 57; si 84, incipere potes a 85.

EXEMPLA.

1. Sit invenienda Littera Dominicalis anni 1900. Quaero et invenio saeculum 1900 et subter hoc saeculum, post 3, accipio Litteram Dominicalem, quae respondet ultimo anno praefati saeculi nempe, G.

2. Sit invenienda Littera Dominicalis anni 1960. Ab illa iam inventa anni 1900 exclusive enumero omnes et singulas Litteras, duas, si simul sint, pro una computans, atque ad initium tabellae rediens quotiescumque eam percurrerim usque dum ab 1 ad 60 perveniam. Cum sciam cellulas Litterarum esse 28, ne tempus frustra teram, inutilem enumerationem omitto, dicens: $28 + 28 = 56$: eapropter enumerationem non incipiam a 1901, sed a 1957, et computatione absoluta usque ad annum 1960, pervenio ad Litteram Dominicalem, quam quaerebam, nempe *C B*.

Epacta igitur et Littera Dominicali sic obtentis, ad diem Paschatis invenienendam procedo in tertia parte tabulae.

EXPLICATIO 3ae PARTIS.

In hac tertia tabulae parte habentur: 1° *Epactae*, novilunia paschalia designantes, quae numquam accidere possunt ante diem 8 Martii, vel post diem 5 Aprilis.

2° *Litterae Dominicales*, quae Dominicas omnes repraesentant, in quibus Pascha occurrere potest: a die nempe 22 Martii ad diem 25 Aprilis inclusive.

3° *Dies mensis*, in quorum aliquo Dominica Paschae debet quotannis occurrere, similiter a die 22 Martii ad diem 25 Aprilis inclusive.

Nota. Epacta XXV extra ordinem ponitur, cum Aprilis sit unus ex lunae mensibus cavis, hoc est diebus 29 constantibus.

Haec Epacta semper dupliciter notatur et, ne una cum altera confundi queat, prima numero arabo subter Epactam XXVI, secunda subter Epactam XXIV, romano numero. Quaenam ex hisce duabus sit tibi sumenda quoties occurrit Epacta XXV (maximi enim momenti est electio unius prae altera), facile scies ex Aureo Numero. Quotiescumque scilicet, recurrente Epacta XXV, Aureus Numerus erit minor quam 12, Epactam sumes romano numero inscriptam. E contra, accipies aliam arabo inscriptam numero; quoties Aureus Numerus maior erit quam 11: *Aureum* vero *Numerum* invenies modo iam dicto.

APPLICATIO.

Cognita Epacta et Littera Dominicali, res est nullius negotii diem, seu Dominicam invenire, in qua erit Pascha. Sequens Dysticon prae mente habeas:

Post Nonas Martii ubi sit nova Luna require:
Tertia lux Domini proxima, Pascha dabit.

Hoc est: 1. Inter Epactas in tertia parte inscriptas quaere illam quam nosti, quippe quae novilunium Martii designat. 2. Ab hac Epacta per lineam rectam ascende paulum et transibis statim ubi sunt Litterae Dominicales: exinde progredere circulariter per Litteras Dominicales donec inveneris primam Litteram Dominicalem quam cognoscis: ab ipsa procede ad secundam eamdemque Litteram Dominicalem: a qua denuo pergas ad tertiam: qua inventa, ascende paulum supra ubi sunt dies mensis.

Dies, ultimae Litterae Dominicali respondens, utpote tertia lux Domini, seu tertia Dominica, erit Pascha.

EXEMPLA.

1. Sit invenienda Pascha pro anno 1900. *a*) Cum sciam Epactam huiusce anni esse XXIX, Litteramque Dominicalem G, quaero in hac ultima parte, vel sectione tabulae Epactam XXIX, quam invenio a latere mensis Aprilis.

b) Inter Litteras Dominicales sumo primam Litteram g, quae in hoc casu invenitur supra Epactam XXIX. Ab ipsa progredior per gyrum ad secundam et ad tertiam Litteram g. Dies mensis qui huic ultimae Litterae respondet, nempe 15 Aprilis, est dies Paschatis pro 1900.

2. Sit invenienda Pascha pro anno 1960. Scio Epactam esse II, Litteram vero Dominicalem esse C B, seu B iuxta alibi dicta. Proinde quaero in hac sectione: a) Epactam, quam invenio in mense Martii; b) primam Litteram Dominicalem, quae invenitur post Epactam II, iam inventam: illam invenio per gyrum progrediendo usque ad tertiam vicem; c) dies quae illi respondet ultima vice, nempe 17 Aprilis, est dies Paschatis pro anno 1960.

Obtenta igitur die Paschatis, omnia festa omnesque

Dominicas ac Ferias, quae ab ipsa pendent, sub oculis tibi ponit sequens

PROSPECTUS (*Vide in fine*)

Hic inscripsimus tantum Quatuor Tempora Veris et Aestatis, et reliquimus Quatuor Tempora Hyemis et Autumni. Quia illa pendent a Paschate, ista a Littera Dominicali: ac proinde si ea quoque scire desideras pro quolibet anno, ad eiusdem anni Litteram Dominicalem attendas necesse est, cui respondent Quatuor Tempora sequenti ordine:

a) *In Autumno.*		b) *In Hyeme.*	
Lit. Dom.	*Quat. Temp.*	*Lit. Dom.*	*Quat. Temp.*
A	20, 22, 23 Septem.	A	20, 22, 23 Decem.
B	21, 23, 24 »	B	14, 16, 17 »
C	15, 17, 18 »	C	15, 17, 18 »
D	16, 18, 19 »	D	16, 18, 19 »
E	17, 19, 20 »	E	17, 19, 20 »
F	18, 20, 21 »	F	18, 20, 21 »
G	19, 21, 22 »	G	19, 21, 22 »

III.

METHODUS

FACILLIME INVENIENDI IN QUOLIBET ANNO QUA DIE HEBDOMADAE OCCURRANT FESTA IMMOBILIA.

Praeter Festa, quae dicuntur Mobilia, ex eo quod, licet semper in eamdem hebdomadae diem incidant, mutant quolibet anno diem mensis, sunt alia quae Immobilia appellantur, quae nempe semper in eamdem mensis diem incidunt, quamvis mutent quolibet anno diem hebdomadae, adeo ut, quemadmodum illa, ita quoque ista, Mobilia aliquo sensu dici possent. Hinc benevolo lectori gratum esse puto

si, praeter clavem inveniendi Pascham aliaque Festa Mobilia, modum quoque praestiterim inveniendi diem hebdomadae, in quam Festa Fixa quotannis incidere debent.

Duo sunt scitu necessaria. Littera Dominicalis anni currentis, et Littera, qua mensis quilibet cuiuscumque anni solet incipere.

Prima nullo labore, post dicta, invenitur: alteram, sub unoquoque relativo mense hic invenies:

Ian.	Feb.	Mart.	Apr.	Mai.	Iun.
A	D	D	G	B	E
Iul.	Aug.	Sept.	Octob.	Novemb.	Decemb.
G	C	F	A	D	F

Has Litteras ut facilius menti retinere possis, sequentium versum memento, cuius singula verba huiusmodi Litteram initialem eodem ordine praestant.

« **A**stra **D**abit **D**ominus **G**ratisque **B**eabit **E**genos »
« **G**ratia **C**hristicolae **F**eret **A**urea **D**ona **F**ideli ».

Inventa igitur Littera Dominicali anni currentis et Littera Initiali mensis, cuius diem scire desideras, facile cognosces diem primam illius mensis; nam ex septem Litteris Dominicalibus, dum una in quolibet anno repraesentat Dominicam, alterae repraesentant alios dies hebdomadae. Proinde, si A repraesentat Dominicas, *b* repraesentabit Dies Lunae, vel fer. II: *c* Dies Martis, vel fer. III: *d* Dies Mercurii, vel fer. IV: *e* Dies Iovis, vel fer. V: *f* Dies Veneris, vel fer. VI: *g* Dies Sabbati. Hinc cognita Littera Dominicali, cognoscitur etiam quid repraesentant aliae Litterae, et similiter quid repraesentat Littera Initialis mensis cuiuslibet. Ex. gr. si Littera Dominicalis est A, et Littera Initialis mensis est *d*, prima dies huius mensis erit Dies Mercurii vel fer. IV, quia *d* tali diei respondet. Si Lit. Dominicalis est G, et Initialis mensis est *f*, prima dies

huius mensis erit dies Sabbati. Cognito primo die mensis, facile et alios potes cognoscere.

EXEMPLUM.

Sit inveniendum qua die hebdomadae insequenti anno 1902 habebitur Nativitas D. N. I. C. Invenies primo, iuxta exhibitam methodum, Litteram Dominicalem, videlicet **E**. Quaeras deinde Litteram Initialem mensis Decembris, quae erit **F**. Hisce duabus inventis Litteris, compertum tibi erit, mensem initium habere in Die Lunae; nam si Lit. E repraesentat Dominicam, altera Lit. F indicabit Diem Lunae.

Invento primo die mensis, nullo labore invenio et octavum et quintumdecimum et vicesimum secundum esse Diem Lunae; nam post septem dies idem semper redit. Si denique dies vicesimus secundus est Dies Lunae, dies vicesimus quintus erit Dies Iovis. Ergo Nativitas D. N. I. C. pro anno 1902 accidet in Die Iovis.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile.

Roma — Tip. Partenopea F.lli Amoroso, Campo Marzio 46

PR

OMNIUM DOMI

Pascha	Septuag.	Sexag.	Quinq.	Cineres	Dom. I.	II. Quadragesimae	III.	IV.	Q. T. Veris.			Dom. Passion.
22 Mart.	18 Ian.	25 Ian.	1 Febr.	4 Febr.	8 Febr.	15 Febr.	22 Febr.	1 Mart.	11 Febr.	13 Febr.	14 Febr.	8 Mart
23 »	19 »	26 »	2 »	5 »	9 »	16 »	23 »	2 »	12 »	14 »	15 »	9 »
24 »	20 »	27 »	3 »	6 »	10 »	17 »	24 »	3 »	13 »	15 »	16 »	10 »
25 »	21 »	28 »	4 »	7 »	11 »	18 »	25 »	4 »	14 »	16 »	17 »	11 »
26 »	22 »	29 »	5 »	8 »	12 »	19 »	26 »	5 »	15 »	17 »	18 »	12 »
27 »	23 »	30 »	6 »	9 »	13 »	20 »	27 »	6 »	16 »	18 »	19 »	13 »
28 »	24 »	31 »	7 »	10 »	14 »	21 »	28 »	7 »	17 »	19 »	20 »	14 »
29 »	25 »	1 Febr.	8 »	11 »	15 »	22 »	1 Mart.	8 »	18 »	20 »	21 »	15 »
30 »	26 »	2 »	9 »	12 »	16 »	23 »	2 »	9 »	19 »	21 »	22 »	16 »
31 »	27 »	3 »	10 »	13 »	17 »	24 »	3 »	10 »	20 »	22 »	23 »	17 »
1 Apr.	28 »	4 »	11 »	14 »	18 »	25 »	4 »	11 »	21 »	23 »	24 »	18 »
2 »	29 »	5 »	12 »	15 »	19 »	26 »	5 »	12 »	22 »	24 »	25 »	19 »
3 »	30 »	6 »	13 »	16 »	20 »	27 »	6 »	13 »	23 »	25 »	26 »	20 »
4 »	31 »	7 »	14 »	17 »	21 »	28 »	7 »	14 »	24 »	26 »	27 »	21 »
5 »	1 Febr.	8 »	15 »	18 »	22 »	1 Mart.	8 »	15 »	25 »	27 »	28 »	22 »
6 »	2 »	9 »	16 »	19 »	23 »	2 »	9 »	16 »	26 »	28 »	1 Mart.	23 »
7 »	3 »	10 »	17 »	20 »	24 »	3 »	10 »	17 »	27 »	1 Mart.	2 »	24 »
8 »	4 »	11 »	18 »	21 »	25 »	4 »	11 »	18 »	28 »	2 »	3 »	25 »
9 »	5 »	12 »	19 »	22 »	26 »	5 »	12 »	19 »	1 Mart.	3 »	4 »	26 »
10 »	6 »	13 »	20 »	23 »	27 »	6 »	13 »	20 »	2 »	4 »	5 »	27 »
11 »	7 »	14 »	21 »	24 »	28 »	7 »	14 »	21 »	3 »	5 »	6 »	28 »
12 »	8 »	15 »	22 »	25 »	1 Mart.	8 »	15 »	22 »	4 »	6 »	7 »	29 »
13 »	9 »	16 »	23 »	26 »	2 »	9 »	16 »	23 »	5 »	7 »	8 »	30 »
14 »	10 »	17 »	24 »	27 »	3 »	10 »	17 »	24 »	6 »	8 »	9 »	31 »
15 »	11 »	18 »	25 »	28 »	4 »	11 »	18 »	25 »	7 »	9 »	10 »	1 Apr
16 »	12 »	19 »	26 »	1 Mart.	5 »	12 »	19 »	26 »	8 »	10 »	11 »	2 »
17 »	13 »	20 »	27 »	2 »	6 »	13 »	20 »	27 »	9 »	11 »	12 »	3 »
18 »	14 »	21 »	28 »	3 »	7 »	14 »	21 »	28 »	10 »	12 »	13 »	4 »
19 »	15 »	22 »	1 Mart.	4 »	8 »	15 »	22 »	29 »	11 »	13 »	14 »	5 »
20 »	16 »	23 »	2 »	5 »	9 »	16 »	23 »	30 »	12 »	14 »	15 »	6 »
21 »	17 »	24 »	3 »	6 »	10 »	17 »	24 »	31 »	13 »	15 »	16 »	7 »
22 »	18 »	25 »	4 »	7 »	11 »	18 »	25 »	1 Apr.	14 »	16 »	17 »	8 »
23 »	19 »	26 »	5 »	8 »	12 »	19 »	26 »	2 »	15 »	17 »	18 »	9 »
24 »	20 »	27 »	6 »	9 »	13 »	20 »	27 »	3 »	16 »	18 »	19 »	10 »
25 »	21 »	28 »	7 »	10 »	14 »	21 »	28 »	4 »	17 »	19 »	20 »	11 »

Nota — Dominicae et Feria IV Cineru

OSPECTUS

NICARUM, FESTORUM ET FERIARUM

QUAE A PASCHA DEPENDENT

Dolor. B.V.	D. Palm.	D. I.	II.	III. post Pascha	IV.	V.	Ascens.	Pent.	
13 Mart.	15 Mart.	29 Mart.	5 Apr.	12 Apr.	19 Apr.	26 Apr.	30 Apr.	10 Maii	13 Mai
14 »	16 »	30 »	6 »	13 »	20 »	27 »	1 Maii	11 »	14 »
15 »	17 »	31 »	7 »	14 »	21 »	28 »	2 »	12 »	15 »
16 »	18 »	1 Apr.	8 »	15 »	22 »	29 »	3 »	13 »	16 »
17 »	19 »	2 »	9 »	16 »	23 »	30 »	4 »	14 »	17 »
18 »	20 »	3 »	10 »	17 »	24 »	1 Maii	5 »	15 »	18 »
19 »	21 »	4 »	11 »	18 »	25 »	2 »	6 »	16 »	19 »
20 »	22 »	5 »	12 »	19 »	26 »	3 »	7 »	17 »	20 »
21 »	23 »	6 »	13 »	20 »	27 »	4 »	8 »	18 »	21 »
22 »	24 »	7 »	14 »	21 »	28 »	5 »	9 »	19 »	22 »
23 »	25 »	8 »	15 »	22 »	29 »	6 »	10 »	20 »	23 »
24 »	26 »	9 »	16 »	23 »	30 »	7 »	11 »	21 »	24 »
25 »	27 »	10 »	17 »	24 »	1 Maii	8 »	12 »	22 »	25 »
26 »	28 »	11 »	18 »	25 »	2 »	9 »	13 »	23 »	26 »
27 »	29 »	12 »	19 »	26 »	3 »	10 »	14 »	24 »	27 »
28 »	30 »	13 »	20 »	27 »	4 »	11 »	15 »	25 »	28 »
29 »	31 »	14 »	21 »	28 »	5 »	12 »	16 »	26 »	29 »
30 »	1 Apr.	15 »	22 »	29 »	6 »	13 »	17 »	27 »	30 »
31 »	2 »	16 »	23 »	30 »	7 »	14 »	18 »	28 »	31 »
1 Apr.	3 »	17 »	24 »	1 Maii	8 »	15 »	19 »	29 »	1 Iuni
2 »	4 »	18 »	25 »	2 »	9 »	16 »	20 »	30 »	2 »
3 »	5 »	19 »	26 »	3 »	10 »	17 »	21 »	31 »	3 »
4 »	6 »	20 »	27 »	4 »	11 »	18 »	22 »	1 Iunii	4 »
5 »	7 »	21 »	28 »	5 »	12 »	19 »	23 »	2 »	5 »
6 »	8 »	22 »	29 »	6 »	13 »	20 »	24 »	3 »	6 »
7 »	9 »	23 »	30 »	7 »	14 »	21 »	25 »	4 »	7 »
8 »	10 »	24 »	1 Maii	8 »	15 »	22 »	26 »	5 »	8 »
9 »	11 »	25 »	2 »	9 »	16 »	23 »	27 »	6 »	9 »
10 »	12 »	26 »	3 »	10 »	17 »	24 »	28 »	7 »	10 »
12 »	13 »	27 »	4 »	11 »	18 »	25 »	29 »	8 »	11 »
12 »	14 »	28 »	5 »	12 »	19 »	26 »	30 »	9 »	12 »
13 »	15 »	29 »	6 »	13 »	20 »	27 »	31 »	10 »	13 »
14 »	16 »	30 »	7 »	14 »	21 »	28 «	1 Iunii	11 »	14 »
15 »	17 »	1 Maii	8 »	15 »	22 »	29 »	2 »	12 »	15 »
16 »	18 »	2 »	9 »	16 »	23 »	30 »	3 »	13 »	16 »

incidentes in mensem Ianuarium aut Februarium in anno bissextili una die progre

Q. T. Aestatis.						Trinit.		Corp. D.		Cord. I.		D.p.Pent. sunt	D. p. Epiph. sunt	D. I. Adventus	
13	Maii	15	Maii	16	Maii	17	Maii	21	Maii	29	Maii	28	1	29	Nov.
14	»	16	»	17	»	18	»	22	»	30	»	28	1	30	»
15	»	17	»	18	»	19	»	23	»	31	»	28	1	1	Dic.
16	»	18	»	19	»	20	»	24	»	1	Iunii	28	2	2	»
17	»	19	»	20	»	21	»	25	»	2	»	28	2	3	»
18	»	20	»	21	»	22	»	26	»	3	»	27	2	27	Nov.
19	»	21	»	22	»	23	»	27	»	4	»	27	2	28	»
20	»	22	»	23	»	24	»	28	»	5	»	27	2	29	»
21	»	23	»	24	»	25	»	29	»	6	»	27	2	30	»
22	»	24	»	25	»	26	»	30	»	7	»	27	2	1	Dic.
23	»	25	»	26	»	27	»	31	»	8	»	27	3	2	»
24	»	26	»	27	»	28	»	1	Iunii	9	»	27	3	3	»
25	»	27	»	28	»	29	»	2	»	10	»	26	3	27	Nov.
26	»	28	»	29	»	30	»	3	»	11	»	26	3	28	»
27	»	29	»	30	»	31	»	4	»	12	»	26	3	29	»
28	»	30	»	31	»	1	Iunii	5	»	13	»	26	3	30	»
29	»	31	»	1	Iunii	2	»	6	»	14	»	26	3	1	Dic.
30	»	1	Iunii	2	»	3	»	7	»	15	»	26	4	2	»
31	»	2	»	3	»	4	»	8	»	16	»	26	4	3	»
1	Iunii	3	»	4	»	5	»	9	»	17	»	25	4	27	Nov.
2	»	4	»	5	»	6	»	10	»	18	»	25	4	28	»
3	»	5	»	6	»	7	»	11	»	19	»	25	4	29	»
4	»	6	»	7	»	8	»	12	»	20	»	25	4	30	»
5	»	7	»	8	»	9	»	13	»	21	»	25	4	1	Dic.
6	»	8	»	9	»	10	»	14	»	22	»	25	5	2	»
7	»	9	»	10	»	11	»	15	»	23	»	25	5	3	»
8	»	10	»	11	»	12	»	16	»	24	»	24	5	27	Nov.
9	»	11	»	12	»	13	»	17	»	24	»	24	5	28	»
10	»	12	»	13	»	14	»	18	»	26	»	24	5	29	»
11	»	13	»	14	»	15	»	19	»	27	»	24	5	30	»
12	»	14	»	15	»	16	»	20	»	28	»	24	5	1	Dic.
13	»	15	»	16	»	17	»	21	»	29	»	24	6	2	»
14	»	16	»	17	»	18	»	22	»	30	»	24	6	3	»
15	»	17	»	18	»	19	»	23	»	1	Iulii	23	6	27	Nov.
16	»	18	»	19	»	20	»	24	»	2	»	23	6	28	»

progrediuntur.